Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .
Das PDF wurde erstellt am: 17.12.2024, 18:16 Uhr.

Heinrich Opitz Johann Georg Hager

Henrici Opitii, S. Theol. D. aar Lešôn Haq-Qodeš Hoc Est Atrivm Lingvae Sanctae : Qvo Exhibentvr I. Consilivm De Stvdio Lingvae S. Etiam Sine Viva Manvdvctione Feliciter Tractando. II. Grammaticae Hebraeae Compendivm Ex Hebraismo Restitvto B. Wasmvthi Cvm Idiotismis Syntacticis Et Poetica Hebr. III. Textvs Cvm Praxi Hebraeo-Analytica Secvndvm Regvlas Vel Hvivs Atrii, Vel Hebraismi Rest. Wasm. Vna Cvm Accentvvm Hebraeorvm Repraesentatione. IV. Lexici Hebraei Compendivm Freqventiorvm In Codice S. Vocvm. V. Index Anomalorvm Difficiliorvm Ex Vniverso Codice Hebraeo Selectorvm, Et In Wasmvthi Hebraismo Restitvto Solutorvm

Ab Innvmeris, Qvibvs Scatebat, Vitiis Sedvlo Pvrgatvm, Multisqve In Locis Hac Nova Editione Avctvm / A Ioanne Georgio Hagero, Scholae Chemnic. Rectore ..., Lipsiae: Lipsiae: Apvd Johannem Samvelem Heinsivm: Litteris Bittorffianis, 1745

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0001

C I c – 1932.

907.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0002

בשׁ"ם

HENRICI OPITII, S. Theol. D.

חצר
לשון הקדש

HOC EST

ATRIVM
LINGVAE SANCTAE,

QVO EXHIBENTVR

I. CONSILIVM DE STVDIO LINGVAE S. ETIAM SINE VIVA MANVDVCTIONE FELICITER TRACTANDO.

II. GRAMMATICAE HEBRAEAE COMPENDIVM EX HEBRAISMO RESTITVTO B. WASMVTHI CVM IDIOTISMIS SYNTACTICIS ET POETICA HEBR.

III. TEXTVS CVM PRAXI HEBRAEO-ANALYTICA SECVNDVM REGVLAS VEL HVIVS ATRII, VEL HEBRAISMI REST. WASM. VNA CVM ACCENTVVM HEBRAEORVM REPRAESENTATIONE.

IV. LEXICI HEBRAEI COMPENDIVM FREQVENTIORVM IN CODICE S. VOCVM.

V. INDEX ANOMALORVM DIFFICILIORVM EX VNIVERSO CODICE HEBRAEO SELECTORVM, ET IN WASMVTHI HEBRAISMO RESTITVTO SOLVTORVM.

AB INNVMERIS, QVIBVS SCATEBAT, VITIIS SEDVLO PVRGATVM, MVLTISQVE IN LOCIS HAC NOVA EDITIONE AVCTVM

A

M. IOANNE GEORGIO HAGERO,
SCHOLAE CHEMNIC. RECTORE.

CVM PRIVILEGIO POTENTISSIMI REGIS POLON. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE 1745.
APVD IOANNEM SAMVELEM HEINSIVM.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0005

R. Dau. Kimchi in fine Michlod.

אשר למד ותורה לו לקנין
ולא למד יסוד דקדוק ולא בן
כמו חורש אשר ינהג שוורים
וידו מבלי מלמד ומרבן

Qui discit & Lex ei est *in possessionem,*
Et non discit fundamenta Grammat. neque intelligit,
Est *sicut arator, qui agit boues;*
Et manus eius est *sine baculo & stimulo.*

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

LINGVAE SANCTAE

CVLTORIBVS

NOVELLIS

VERBI DIVINI

IN TEXTV ORIGINALI

SCRVTATORIBVS

PIIS DEVOTIS INDVSTRIIS

RENOVATAM HANC

ATRII LINGVAE S.

STRVCTVRAM

DENVO APERIT

OMNESQVE

NON CVM PLEBE EMINVS SPECTARE

SED

CVM SACRI ORDINIS HOMINIBVS

IN IPSA ADYTA PER ATRIVM PENETRARE

CVPIENTES

ADMITTIT

TESTES AC ARBITROS FVTVROS OMNIVM

QVAE INTVS AGENTVR

 IISDEM

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0007

IISDEM SIMVL
SPIRITVS S. GRATIAM
VITAE SANCTIMONIAM
AC
PIVM
PRO VERBO DEI
EIVSQVE INTEGRITATE AC AVTHENTIA
CONTRA INFRVNITAS HODIE
DIABOLI AC BIBLIOMASTIGVM
MACHINATIONES
ZELVM
OPTAT ATQVE PRECATVR,
SIC
DEVS ALIQVANDO APERIET
SANCTVARIVM SANCTIS
AC
QVEMQVE SVO MODO AC TEMPORE
CEV
ALTEROS
כהנים הגדולים
IN ILLVD INTROMITTET.
QVOD VOVET
AC
SPONDET
SINGVLIS
AVTOR.

KILONI, Ipſis Calend. Ianuar. A. O. R. clɔ Iɔc xcii.

ADVER-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0008

ADVERSVS QVORVNDAM MALIGNAS ARROSIONES,
SVSPENSA PRAE FORIBVS
AMVLETA,
H. E.
NONNVLLORVM CELEBRIORVM PHILOLOGORVM
DE
HEBRAISMO RESTITVTO
B. WASMVTHI,
ET
ATRIO HOC LINGVAE SANCTAE
IVDICIA.

I.
CHRISTIANI RAVII,

Profeſſ. antehac Regii, Vpſal. poſtea Francofurt. Celeberrimi, quod dedit in Cauſſa Anti-Conringiana Vpſal. Menſe Febr. 1669.

Certiſſimum eſt, quicquid communis litterarum bonarum inſtaurator *Dn. D. Wasmuthus* ſcribit de Keri & Ctibh, quicquid de punctis Accentuum promittit, quicquid de vocalibus & litteris teſtatur, quicquid de ſanitate Codicis Ebræi in genere, quicquid de locis innumeris per totum Codicem Ebræum, citatis in HEBRAISMO RESTITVTO, opere incredibiliter bono, inque Vindiciarum Biblicarum Parte prima & ſecunda, ei operi annexarum, & nunc in tertia Anti-Conringiana, diuinitus ſcribit - - Hoc omne, & quicquid de Codice Hebræo ſcripſit ſcribetque *Dn. D. Matthias Wasmuthus*, cum eo aſſero, eodem quo ille ſenſu, & quo ille pugnat contra nonnihil vacillantes vel ſeductos, eodem ſenſu ego pugnem, ſi opus ſit &c.

Et in Catalogo publico Lectionum illuſtr. Acad. Vpſalienſis:

Chriſtianus Rauius, Berlinas, incipiet publice explicare *Reu. plur. Matth. Wasmuthi*, SS. Theolog. D. Grammaticam Hebræam, 50. Regulis abſolutam, qua non datur hodie plenior, & quæ vna loco vicenarum ſufficiat:

ficiat: Certe *Cl. Troſtii, Erpenii, Baldauii, Schickardi & Buxtorffii,* vel Compendia, vel Theſauros longe tranſcendit.

II.

DN. IOANNIS HENR. HOTTINGERI

in lit. d. 2. Sept. 1666. Tiguri datis ad Celeberr. *Dn. D. Mauritium*, antehac in Academia Kilonienſi Prof. Iur. Pr. nunc in Camera Imperiali, quæ Spiræ eſt, Aſſeſſ. Illuſtriſſ.

Celeberrimi *D. Wasmuthi* Nomen pridem in his notum regionibus Montanis. Iam antehac præclara haud vulgaris Linguarum Orientalium peritiæ dedit ſpecimina. Vnde & tanto mihi pretioſiſſimum per te nuper miſſum, acceptius fuit munus Chartaceum. Gratias pro eo ago maximas. Et quanquam totum, quod magno labore & iudicio collectum eſt, *D. Wasmuthi* ſcriptum, magnam litteris Hebraicis fœneretur lucem, illa tamen, quæ *Capelli & Waltoni* ſententiæ iugulum petunt, propterea ſunt ἔξοχα ἄλλων, quod optimam cauſſam maſcule & dextre Vir doctiſſimus defenderit: Adeo hactenus ab illa *Capelli* abhorrui novitate, vt neſciam, an in Contextum S. quicquam aduerſariis concedi poſſet, quod maiori cum periculo auctoritatis ejus eſſet coniunctum. Hoc ergo nomine *D. Wasmuth* ingens fecit operæ pretium, &c.

III.

Trigæ Celeberr. Batauorum infra ſcriptorum.

Reuerendi & Clariſſ. Viri *D. Matth. Wasmuthi* librum, cui titulus: *Hebraiſmus Reſtitutus*, attente & ſedulo, vt quidem negotia noſtra ferebant, luſtrauimus. Quantum vero ſic nobis obſeruare lieuit, iudicamus, laudatum illud opus, non ſolum accurata methodo digeſtum eſſe, ſed etiam multiplici eruditione, ac ſingularis peritiæ in omnibus ad litteraturam Hebraicam ſpectantibus demonſtratione, refertum: Comprehendere enim theſaurum Grammaticæ iſtius abſolutiſſimum & locupletiſſimum, ſiue litterarum & punctorum tractationem ſpectes, ſiue Etymologiam, ſiue Syntaxin, ſiue ipſam Accentuationem: ſic omnia ſuis Regulis deſcripta ſunt accuratiſſime, Regulæ Exemplis comprobatæ diligentiſſime, adiectis magna induſtria paſſim ſuis Exceptionibus & Anomaliis, *adeo quidem, vt nunquam hactenus a quoquam omnia & ſingula tam exacte*

exacte ac plane delineata viderimus. Præclaram quoque laudem nominatim meretur Pars illa, quæ complectitur doctiſſimas & laborioſiſſimas *Vindicias integritatis ac puritatis S. Scripturæ*, & ſpecialius V. T. in lingua ſua originali, contra periculoſiſſimum Errorem aliorum quorundam. Hinc non ſolum S. Theologiæ Studioſis, ſed etiam Eccleſiarum Paſtoribus & φιλεβραίοις quibusuis, theſaurum iſtum ad linguam S. feliciſſime excolendam, ſuaque circa hanc ſtudia pleniſſime perficienda, cenſemus vtiliſſimum; atque ita de meliori nota eum commendamus: Reuerendo & Clariſſimo Auctori Herculeum illum laborem tam proſpero & glorioſo ſucceſſu exantlatum gratulantes, Deumque Opt. Max. venerantes, vt ipſum Bono publico diu ſeruet incolumem.

Dabamus Vltraiecti VII. Kal. Febr.
A. D. cIↃ IↃc LXIX.

GISBERTVS VOETIVS, Theol. Prof.
ANDR. ESSENIVS, Theol. Prof.
IO. LEVSDEN, Lingu. S. Profeſſor.

IV.

Clariſſimi LEVSDENII,

Linguæ S. in Acad. Vltraiect. Profeſſ. Celeberr. in litteris ad Autorem *Atrii* Anno 1671. datis.

Nunquam fuerunt tam felicia tempora, qualia iam ſunt, quibus hæc ſtudia tam facilia redduntur, & fere in os intruduntur. Tu in *Atrio* tuo facillimam methodum propinas, per quam, ſi quis eam ſequi velit, facillime ad cognitionem Linguæ S. perueniet. Primo proponis *Conſilium de Studio linguæ Hebrææ bene & feliciter inchoando & diſcendo:* Deinde ſequitur *Compendium*, in quo regulæ & præcepta Grammaticæ ſuccincte, breuiter & ſolide poſt inuicem deſcribuntur. Et hoc Compendium mihi eo magis arridet, quia vbique ablegas lectorem ad inſigne & nunquam ſatis laudandum opus *Hebraiſmi Reſtituti Clariſſimi D. Wasmuthi.* Soleo ſemper opus illud inſigne priuatim & publice Studioſis commendare. Etiam in iterata editione *Philologi Hebræi p. 194.* (qui iam ad finem properat, & propediem lucem adſpiciet,) ſic ſcribo: *ſi quis plura deſideret*, (loquor de Antiquitate Vocalium) *legat Cl. Matthiæ Wasmuthi ſolidas Vindicias S. Hebrææ Scripturæ, laborioſiſſimo Hebraiſmo Reſtituto*

Reſtituto adiunctas, in quibus diuinam vocalium & accentuum autoritatem luculenter & non ſine iuſto zelo probat. Denique præter *ſolidam quorundam Capitum Analyſin* Grammaticam, & Valoris accentuum demonſtrationem, in breui quaſi Tabella propinas *omnes voces irregulares, quæ remoram Tyronibus iniicere poſſent*, & ſimul allegas loca, vbinam in *Hebraiſmo Reſtituto* inueſtigari poſſint. Ego nuper ſtudioſo in mandatis dederam, vt omnes illas voces ſecundum ordinem librorum V. Teſt. ex Hebraiſmo inveſtigaret, & in peculiari libro annotaret. Hac inueſtigatione fere ad vmbilicum perducta, ecce traditur mihi tuum *Atrium*, in quo eæ Voces, tanquam cibus præparatus, mihi proponuntur. Non poteſt non orbis literatus tibi gratias agere. Deus conatibus & laboribus tuis affatim benedicat. Si nonnulla exemplaria data occaſione ad nos transmittere poſſis, facies rem ſtudioſis, qui viderunt, gratiſſimam. Biblia, quæ meditaris, noli imprimere, antequam me eius rei certiorem feceris. Ego ſimiliter ſignificabo, quid hic in Belgio agamus, &c. &c.

V.

Maxime Reuerendus & Excellentiſſimus

DN. GOTTLOB FRIDERICVS Seligmann,

SS. Theol. D. eiusdemque apud Lipſienſes Prof. Celeberrimus atque Eccleſiaſtes quondam meritiſſimus, in IDEA Studioſi πολυμαθεστέρου ad altiorem ſapientiam aſpirantis.

De Hebræa Lingua prolixe agit OPITIVS in Conſilio de ſtudio Hebræo rite inſtituendo & feliciter abſoluendo, quod cum in plurium ſit manibus, videri facile poteſt, & meretur quoque. Quandoquidem præter Patrum Doctorumque Eccleſiæ iudicia huc pertinentia, candide omnino monſtrat, qua via deceat incedere eum, qui operam huic linguæ nolit impendere fruſtraneam. - - - Quæ vero Grammaticæ ante alias mereantur laudem, nos quidem iam determinare non audemus: quibus interim ſufficit Wasmuthianam Hebræam una cum Opitii ATRIO hactenus abs non paucis commendari quam maxime.

ATRII



ATRII LINGVÆ S.
PARS I.
SEV
CONSILIVM
De Studio Hebræo rite, etiam sine viua manuductione, (vbi forte nulla ejus detur copia,) instituendo & feliciter absoluendo.

§. 1.

PRodit denuo in publicum, L. B. ATRIVM nostrum Linguæ S. aliquoties hactenus in gratiam Tyronum editum atque ita adornatum, vt omnia, quæ ad fundamenta illius Linguæ requiruntur, ordine hic exhibeantur, & quidem per quinque sqq eius partes, quæ sunt:

I. CONSILIVM de studio Hæbræo, proprio etiam Marte (in defectu forte viuæ manuductionis) suscipiendo & feliciter absolvendo.

II. COMPENDIVM GRAMMATICVM Hebraismi Restituti B. D. Wasmuthi, ceu omnium perfectissimi hodie Systematis Grammatici, vno eodemque vtriusuis tenore Regularum & Verborum sic seruato, vt alterum alterius fundamentum ac complementum; ambo vero mutua discentibus subsidia facillima præstent, quo minus per multas Grammaticas diuersæ semper Methodi volitare, & dubiis doctrinarum sedibus fluctuare opus sit.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0013

III. TEXTVS PRIORVM IV. CAPITVM GENESEOS cum praxi Hebræo Analytica ad Regulas vtriusque Grammaticæ huius compendiosæ, illiusque plenæ, simul relata.

IV. LEXICON HEBRAEVM frequentiorum in Codice S. vocum.

V. INDEX difficiliorum Anomalorum Codicis S. in Hebraismo Wasmuthiano enucleatorum: de quorum vna omnium tenore, ac recto vsu, nonnulla præfandi, commodissimam nobis ipsa statim Pars I. præbet occasionem.

§. 2. Nimirum, si quid omnino sapienter Hebræorum Magistri, hoc sane de optimo Didacticæ Hebrææ genere constitutum recte habent præceptum geminum:

לעולם ילמד אדם לתלמידיו בדרך קציר׃

Semper doceat homo discipulos via breui;

& simul

בעל מעשים יתקיים לו עונו׃

Practicus industrius firmabit Theoriam suam.

Ambo siquidem hæc tam arcta inuicem ἀλληλεχίᾳ & mutuo nexu sunt deuincta, vt nec commoda aut utilis sit breuitas doctrinæ sine confirmatione Praxeos, neque hæc fructuose institui possit, nisi breuis præcesserit doctrinæ Theoria. Vtrumque nunc ergo quam prope præsentis instituti nostri fecerimus, aut assecuti simus scopum, breuiter quidem ipsi memorabimus, prudens autem Lectoris amplius æstimabit iudicium.

§. 3. Et primo quidem, vt rem altius a prima huius *Consilii* nostri origine repetamus; cum viderem pridem & vel proprio olim didicissem experimento, quam difficiles hactenus & perpetuis tricis implicati essent plerorumque Grammaticorum Hebr. libri, partim ob ἀμεθόδειαν, partim ob imperfectionem, & contra sæpe superfluas vagasque & laxas circumscriptiones doctrinarum, vt non nisi tædii patientissimis ingeniis aditum tardiorem ad Linguæ S. interiora concederent, idque adhuc vel decem aliorum Grammaticorum aduocandis subsidiis, & his quoque, vt fit, ægerrime cohærentibus: quamquae inde deplorandus pridem neglectus S. fontis Hebræi passim extiterit, minori indies cultorum aut scrutatorum eius frequentia, primum ad paucos, demum ad nullos redigenda, (qualem desertionem studii Linguæ S. inter βάθη τῦ Σατανᾶ, a paucis proh dolor! animaduersa, merito refert B. noster Lutherus): non potui non & serio dolere, de tam infelici eatenus forte omnium præstantissimi Studii linguæ S. & simul tanto magis orbi erudito gratulari, cui post multorum vota, obtigit incomparabile illud Opus *Hebræo-Wasmuthianum*, quod merito suo, tum e *Grammatices Hebr.* singulari ἀκριβείᾳ *ac perfectione*; tum ab *Accentuationis diui-*

diuinæ reſtituta notitia: tum a *Vindiciis Authentiæ, integritatis ac certitudinis Fontium Hebr.* inſcripſit Autor laudatus HEBRAISMVM *facilitati & integritati ſuæ* RESTITVTVM.

§. 4. Vt autem plures nunc ad Studii Hebræi culturam exſtimulem, breuiter & candide Conſilii noſtri modum exponam, quo facillime quis, etiam ſine viua manuductione, vbi forte nulla eius detur copia, hoc ſtudium tractare & feliciter abſoluere poſſit. Et ſic ante omnia (1) κατ' ἄρχην, minime audiendos eſſe moneo, friuolos illos Linguarum SS. & Textus originalis contemtores, nimis profane aſſerentes, *non adeo magnam linguarum originalium in Theologia eſſe neceſſitatem, multa alia magis neceſſaria diſcenda eſſe Presbyteris Eccleſiæ, nec exigendam a Presbyteris Eccleſiarum ſcientiam Græci aut Hebræi ſermonis.* Quam longe enim a ſanis & rectis iudiciis abſint temerarii iſti tam nobilis & prope abſolute neceſſarii ſtudii cenſores, multis, iisque grauiſſimis, demonſtrare poſſem argumentis. Sed ne in propria quaſi cauſſa accuſator ſimul & iudex eſſe videar, placet potius ſummorum quorundam Patrum & Doctorum Eccleſiæ contraria de ſtudii huius in Theologia necesſitate denuo afferre vota & iudicia.

§. 5. Prodeat itaque ex Patribus rarus ille Hebraizantium Phœnix Hieronymus, nobisque ex *Epiſt. 135. ad Suniam & Fretellam* fidem faciat, quando ibid. inſit.: *Sicuti in N. Teſt. quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter Exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo Nouum ſcriptum eſt Inſtrumentum: ita in V. Teſt. ſi quando inter Græcos Latinosque diuerſitas eſt,* AD HEBRAEAM RECVRRIMVS VERITATEM, *vt, quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in riuulis.* Et rurſus Comment. ad Zach. cap. VIII, 6. *In h. l. noſtrorum multi multa dixerunt, & inter ſe diſſonantia. Cogimur igitur ad Hebræo. recurrere, & ſcientiæ veritatem* DE FONTE MAGIS, QVAM DE RIVVLIS QVAERERE. Gemina habet Pater doctiſſimus *aduerſ. Heluid. it. Epiſt. ad Lucin. & Apol. 2. contra Ruffinum.* Nec minus auguſtiſſimus Pater Auguſtinus, qui ipſemet, licet Hebrææ ignarus, rei tamen veritate adactus, *lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 11.* ſcribit: *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa ſcil. & Græca, vt ad Exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.*

§. 6. Quod ſi Doctores orthodoxæ noſtræ Eccleſiæ conſulere velimus, apparebit, eos omnes vno ore τοῖς ἐξ ἐναντίας adeo peruerſe ſentientibus firmiter contradicere. Audiamus primo Magalandrum noſtrum Lutherum eleganter eam in rem differentem, *Tom. III. Ien. Lat. fol. 444. Comment. in Pſalm. XLV. Vocem* Lamnazeahh *varie tractant Ebræi, nec eſt, quod vllus, vel Græcus, vel Latinus præſumat, ſe eam intelligere. Quare ſæpe monui, vt Ebræam linguam diſceretis, nec*

eam ita negligeretis. Etsi enim eius linguæ nullus alius esset vsus, tamen pro gratiarum actione discenda erat, quod PARS QVAEDAM RELIGIONIS ET CVLTVS DEI EST, *eam linguam docere, vel discere,* QVAE SOLA, *quicquid vsquam diuini est, docet.* Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur Sancti inuocantes & maximas res gerentes; *vt studium, quod in hanc linguam discendam collocatur,* MISSA *quædam, seu* CVLTVS DEI, *merito vocari posset. Quare serio vos hortor, ne eam negligatis. Periculum enim est, ne Deus hac ingratitudine offensus priuet nos non solum cognitione huius S. linguæ, sed & Græcæ & Latinæ, &* TOTIVS RELIGIONIS. *Sed præterquam, quod* PARS CVLTVS DIVINI *est hoc studium, continet etiam maximam vtilitatem. Si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, (neque enim omnes Iura & Medicinam discemus:) oportet eos esse munitos contra Papatum, & aliud odiosum hominum vulgus, qui, cum vnam Ebræam vocem sonare didicerunt, statim putant se Magistros huius sacræ linguæ. Ibi nisi nos eam tenuerimus,* TANQVAM ASINIS ILLVDENT ET INSVLTABVNT: *Sin autem nos quoque muniti fuerimus cognitione huius Linguæ, poterimus eis impudens os obstruere. Sic enim Diabolo & eius ministris resistendum est. Scio enim, quantum mihi contra meos hostes profuerit. Quare hac quantulacunque cognitione* INFINITIS AVREORVM MILLIBVS CARERE NOLIM. *Et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis Religionem, vt hanc linguam discatis,* SI NON PECORA CAMPI ET INDOCTVM VVLGVS *haberi vultis, quod editis Germanicis libellis* (POSTILLIS) *adiutum, vtcunque Euangelia Dominicalia & Catechismum docet.* Sic *T.II.Ien.Germ. pag.458.vel Altenb.808. & p.809.* In der Vermahnung an die Rathsherren aller Städten Teutschland scribit Vir Θεήλατος: Wenn kein ander Nutz an den Sprachen wäre, solte uns doch das billig erfreuen und anzünden, daß es eine edle, feine Gabe GOttes ist, damit uns Teutsche GOtt jetzo so reichlich, fast über alle Länder heimgesuchet und begnadet. Man siehet nicht viel, daß der Teufel dieselbe hätte lassen durch die hohen Schulen und Klöster aufkommen, ja sie haben allezeit aufs höchste darwider getobet, und toben auch noch, denn der Teufel roch den Braten wohl, wo die Sprachen herfür kämen, würde sein Reich ein Fach gewinnen, das er nicht könte leicht zustopffen. Weil er nun nicht hat mögen wehren, daß sie hervor kämen, dencket er doch sie nun also schmal zu halten, (qui & hodie quorundam subtesti consilii modus ac finis est) daß sie von ihnen selbst wieder sollen vergehen und fallen. Es "ist ihm nicht ein lieber Gast damit ins Hauß kommen, darum will er ihn auch also speisen, "daß er nicht lange soll bleiben. Diesen bösen Tück des Teufels sehen unser gar wenig, lie-"be Herren. Darum, liebe Teutschen, lasset uns hie die Augen aufthun, GOtt dancken für das edle Kleinod, und fest drob halten, daß es uns nicht wieder entzücket werde, und der Teufel nicht seinen Muthwillen büsse. Denn das können wir nicht läugnen, daß, wiewohl das Evangelium allein durch den heiligen Geist ist kommen, und täglich kommt, so ist es doch durch Mittel und Sprachen kommen, und hat auch dadurch zugenommen, muß auch dadurch erhalten werden. Denn gleich als da GOtt durch die Apostel wolte in alle Welt das Evangelium kommen lassen, gab er die Zungen (Sprachen) darzu: Also hat er jetzt auch gethan. Niemand

hat

hat gewust, warum GOtt die Sprachen herfür ließ kommen, bis daß man nun allererst siehet, daß es um des Evangelii willen geschehen ist, welches er hernach hat wollen offenbahren, und dadurch des Ende Christs Regiment aufdecken und zerstören NB. So lieb nun als uns das Evangelium ist, so hart lasset uns über die Sprachen halten. Denn GOtt hat seine Schrifft nicht umsonst allein in die zwo Sprachen schreiben lassen, das Alte Testament in die Ebräische, das Neue in die Griechische. Welche nun GOtt nicht verachtet, sondern zu seinem Wort erwehlet, sollen auch wir dieselben vor allen andern ehren ... dahero auch die Ebräische heilig heisset .. also mag auch die Griechische Sprache wohl heilig heissen, daß dieselbe vor andern darzu erwehlet ist, daß das Neue Testament darinnen geschrieben würde .. und lasset uns das gesagt seyn, daß wir das Evangelium nicht wohl werden erhalten ohne die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheiden, darinnen diß Messer des Geistes stecket. Sie sind der Schrein, darinnen man diß Kleinod träget. Sie sind das Gefäß, darinnen man diesen Tranck fasset. Ja wo wirs versehen, daß wir, (da GOtt für sey!) die Sprachen fahren lassen, so werden wir nicht allein das Evangelium verlieren, sondern wird auch endlich dahin gerathen, daß wir weder Lateinisch, noch Teutsch, recht reden, oder schreiben können .. Darum ist es gewiß, wo nicht die Sprachen bleiben, da muß zuletzt das Evangelium untergehen, das hat auch beweiset und zeiget noch an die Erfahrung Denn so bald nach der Apostel Zeit, da die Sprachen aufhöreten, nahm auch das Evangelium und der Glaube, und gantze Christenthum je mehr und mehr abe, bis daß sie unter dem Pabst gar versuncken ist, und ist, sint der Zeit die Sprachen gefallen sind, nicht viel besonders in der Christenheit ersehen, aber viel gräulicher Gräuel aus Unwissenheit der Sprachen geschehen. Also wiederum, weil jetzt die Sprachen herfür kommen sind, bringen sie ein solch Licht mit sich, und thun solche grosse Dinge, daß sich alle Welt verwundert. ... Und Summa, der heilige Geist ist kein Narr, gehet auch nicht mit leichtfertigen, unnöthigen Sachen um, der hat die Sprachen so nütze und hoch geachtet in der Christenheit, daß er sie offtmahls von Himmel mit sich gebracht hat, welches uns alleine solte gnugsam bewegen, dieselben mit Fleiß und Ehren zu suchen, weil er sie nun selbst wieder auf Erden erwecket."

§. 7. Nec aliter fidissimus B. Lutheri, dum vixit, parastates Philippus Melanchthon de Linguarum SS. vsu & necessitate disserit *Tom. 3. Orat. p. m. 806. Non alia*, inquiens, *ad veterem barbariem reducendam magis compendiosa est via, quam si linguarum studia intereant.* Et pag. 812. *Scio*, ait modesta anima, *me vix primis labiis degustasse litteras Latinas, Græcas & Ebraicas. Sed tamen hoc ipsum, quod didici quantulumcunque est, propter iudicium de Religione, omnibus mundi regnis, omniumque opibus longe antepono. Quod eo dico, vt cum mihi & aliis, qui parum didicimus, videatis ad veritatis agnitionem, hanc exiguam doctrinam plurimum prodesse, & ipsi speretis magnum vos operæ pretium facturos, si linguas mediocriter didiceritis.* Et nonnullis interiectis pag. 821. ait: *Est nostri officii iuuentutem adhortari, vt hoc donum* (scil. linguæ Hebr.) *quod Deus semper in Ecclesia excitauit, & studiis Doctorum conseruari voluit, tueantur, ac sciant, se laborem sumere in munere diuino propagando, & in veris Opibus Ecclesiæ defendendis. Laudamus pios Principes, qui prohibent Pastoribus eripi suos nidos & agros: & iure laudamus. Sed litterarum & huius Linguæ cognitio verius est inter OPES*

ECCLESIAE numeranda. Et circa finem illius orat. *De Linguæ huius studio hoc vos oro & obtestator, vt cogitetis, donum Linguarum in Ecclesia diuinitus excitari: & velle Deum, vt nostra diligentia id munus tueamur, & laudat seruos, qui talenta collocarant in fœnus: Et minatur ignauis, inquiens: Habenti dabitur, & non habenti, etiam quod videtur habere, auferetur &c.* Et in Præfat. Auenarii Grammaticæ Hebrææ præfixa hæc habet: *Necesse est in Ecclesia conseruari Linguæ Hebrææ cognitionem, cum & Prophetarum libri Ebræi sint, & Apostolica phrasis magna ex parte Ebræa sit. Cumque in Psalmo dicitur: Benedicite Domino de fontibus Israel, vbi docemur, hanc esse veram Dei Ecclesiam, quæ Prophetarum doctrinam recte intellectam retinet; inuitari nos hoc dulcissimo versu sciamus, ad discendas & res in Prophetis traditas, & linguam, quæ ad res aditum monstrat. Nec dubium est, semper in Ecclesia aliquos fuisse eius linguæ gnaros, etsi enim extant interpretationes necessariæ populo, & profecto non contemnendæ, tamen Deus semper vult testes aliquos illarum interpretationum esse. Vult in locis obscuris consuli fontes. Id beneficium Dei agnoscamus, & læti ac grati hanc linguam discamus, & quamplurimos ad eam discendam inuitemus. Quanto sit illustrior sententia Prophetarum iis, qui fontes norunt, experti iudicare possunt. Illud constat, valde delectari bonas mentes certitudine sententiæ, cum nota est Prophetarum lingua.* Hæc ille.

§. 8. Hisce Duum-Viris magno numero sese iungunt nostrates Theologi ac Philologi. Ita enim B. Mattheſius *in Hist. B. Lutheri conc. 1. p. 9.* scribit: Die schöne Sprachen, neben hertzlichem Gebet, heiligen Creutz, und ernstlicher Betrachtung sind die schönsten Commentarii und Ausleger des göttlichen Worts. Hinc B. Ægid. Hunnius *in Exam. primæ controuers. general. de verbo DEI scripto contra Bellarmin. II. cap. II. Par est,* inquit, *vt Studiosi Theologiæ, multoque magis, qui iam in ministerio versantur, ex ipsis fontibus hauriant, & linguarum cognitionem sibi comparent, quo cum fructu in Hebraicis Bibliis & Græco textu Noui Testamenti versari queant. Ideoque cum meditantur concionem, aut disputationem, aut tale quid vel ad plebem vel ad eruditos, semper fontes consulant, præsertim si tempus habeant & otium. Maxime autem in redarguendo faciendum illud est, vt aduersariis Iudæis, Arianis, Papistis, Caluinianis, & aliis obuiam eatur, quando in argumentando nituntur versionibus ad Hebraicam & Græcam veritatem minus congruentibus* Pariter D. Wolffg. Franzius in aureo tractatu *de interpretat. Script. pag. m. 12.* He- "*brææ linguæ studium,* inquit, *deserere non potest Theologiæ Studiosus & Theologus,* "*quamdiu huic facultati in his terris operam nauabit.* Et pag. 56. *De diligentia* "*in Hebræis collocanda dixi: Qui vero secus fecerit, nec fundamenta intima Fon-* "*tium comparare sategerit, Eum diuinam vindictam experturum pronuncio.* B. Gerhardus in *Meth. studii Theolog.* post plurima allata de summa linguarum Sacra-

rum

rum in Theologia necesſitate ita infit. *p. m. 53. Miſerum eſt, in re tanta alienis videre oculis, cum præſertim, qui aliorum oculus eſt conſtitutus: ac fieri nequit, quin aliorum iudicio innitens aliquoties fallatur:* & tandem concludit grauisſima illa B. Lutheri cohortatione, quam ſupra ex *Comm. eius in Eſa 45. adduximus: Sæpe monui &c.* B. Glasſius, vti per totam *orationem de linguæ Hebr. neceſsitate*, ita inter alia de ea diſſerit hunc in modum: *Hebræam ſi linguam dico, rem dico, quæ* " *omnium vere Chriſtianorum & mentes & oculos in ſe conuertere, æſtimationemque cum admiratione ſumma coniunctam concitare debet & poteſt.* Et mox: *Hebræa* " *lingua, quæ mel meum eſt, meum nectar & ambroſia, meus ſcopus, mea prora puppisque &c.* Sic Dn. D. Calouius Theſi Anti-Syncretiſt. IV. *Theologiæ Studioſo,* " inquit, *longe magis neceſſaria eſt linguæ Hebrææ & Græcæ, quam Theologiæ Schola* " *ſticæ notitia, aut Patrum ſtudium, aut Philoſophiæ ac nominatim Logicæ & Metaphyſicæ, &c.* Nec minus D. Georgius Calixtus *Appar. Theolog. p. 155.* agnoſcit cum Eraſmo, *inde ortam eſſe in Eccleſia* CALIGINEM & BARBARIEM, *quod neglectæ tunc ſint bonæ litteræ, faſtidita Græci ſermonis peritia, multoque magis Hebraici.* Et p. 158. ſcribit: *Hebræa lingua opus fuiſſe & eſſe, ſanum hominem neminem dubitare ſinit ipſa rei euidentia.* Et paulo poſt: *Res ipſa loquitur & pridem a nobis demonſtratum eſt, Neminem Studioſum Theologiæ agnoſcere nos poſſe, niſi qui in literis & Linguis & diſciplinis verſatus ſit.* Eodem modo D. Horneius *Diſputat. 1. de Nat. Theol. p. 41. Omnium Linguarum iſtarum* (Latinæ, Græcæ & Hebraicæ) *notitia ad Theologiæ ſtudium requiritur: Nec diſcrimen vllum hac in re eſt, ſiue Latinam cum duabus ceteris, ſiue duas illas inter ſe contentas.* & p. 44. *Certe, vt Scripturam ea lingua, qua ab initio conſignata eſt, cognoſcat, & phraſin eius, totumque Idioma NB. probe calleat, Theologiæ cultori neceſſe eſt.* Idem l. c. hoc *tribuit renaſcentibus per Europam Latinis, Græcis & Hebraicis litteris, quod Theologiæ ſtudium diuina ope denuo reuocatum, & ita Eccleſia a multis Erroribus repurgata ſit.* Et quis omnia hæc & ſimilia Doctorum noſtrorum iudicia de ſumma & abſoluta Lingg. SS. neceſsitate hic enarrare valeat? Legatur hac de re præ aliis integra illa Oratio Philippi Melanchthonis ſupra ex Tom. III. eiusd. operum allegata, it. Oratio B. Glasſii, quæ habetur in *Philolog. S. lib. II.* ſubiuncta; & fuſius Programma ad Panegyrin Hebræo-Oratoriam B. noſtri Wasmuthi, Collegæ quondam & Anteceſſoris mei in vtraque Cathedra in cineribus venerandi.

§. 8 Audiamus nunc etiam celebriorum quorundam Reformatorum hanc in rem ſuffragia & iudicia: Wolfg. Muſculus *in LL. CC. tit. de Lingu. Scr. Studioſos Theologiæ admonere non ſolum, ſed & vehementer hortari iubet, vt ſacrarum linguarum Hebrææ & Græcæ cognitionem, ſtudiis ſuis, non dico quaſi παρεργον adiiciant, ſed NB. inſtar fundamenti, in ipſum* FVNDVM *mentium ſuarum ſubmittant,*

ſcili-

ſcilicet ne docturi deinde in Eccleſia, incurrant illud Matth. XXII, 29. ERRATIS, NESCIENTES SCRIPTVRAS. Pariter I. Druſius *lib. de quæſ. per Epiſt. 99. Sacris litteris,* ſcribit, *intelligendis ac enarrandis, non tam piſcibus aqua, quam Theologis neceſſaria eſt Linguæ S. cognitio, ſine qua nequaquam eſt, vt ſolidam peritiam earum litterarum aſſequantur. Quemadmodum enim* ASINVS MOLENDINARIVS *aſſidue circuit, nec tamen recedit aut mouetur loco; ſic qui verbum Dei enarrant, nulla linguarum Orientalium cognitione imbuti, licet aſſidue verſent, nunquam tamen illud recte, ita vt oportet, intelligent.* Nec minus Paræus *in Gen. cap. 48. v. 16. Hebraiſmorum ignorantiam* HORRENDOS ERRORES *in Eccleſiam inuexiſſe* ait. Et clariſſ. Anglus Prideaux *in lect. de cap. Relig. p. 185. Obſeruarunt,* inquit, *circumſpecti, vix vnquam hæreſin aliquam aut errorem exercuiſſe Eccleſiam, quin e Scripturæ apicibus aut neglectis, aut perperam intellectis duxit originem.* Sic P. Cunæus *de Republ. Hebr lib III. prolegom.* ſcribit: *Enim vero cum S. Codicis lectio non Theologis modo, ſed omnibus bonis viris, & præſertim eruditis, eſſe debeat iucundiſſima: quid aliud magis ſerio agendum nobis eſt, qui in hoc honeſto otio viuimus, niſi vt quam optime nobis cognitus intellectusque ſit is ſermo, quo olim vſus ipſe Deus fuit, cum priſcos Eccleſiæ rectores ſuo dignatus alloquio eſt? Dicendum aperte eſt. Valde ſupine atque oſcitanter viximus: Hiſpanorum Gallorumque & Italorum verba atque voces diſcimus, vnam illam non intelligimus linguam, quam profecto vnam didiciſſe, operæ erat pretium, quod ſi qui ſunt, qui animum ſuum ad pulcherrimum hoc applicant ſtudium, admodum id ſit plerumque perfunctorie.* Quare & clar. Gomarus *in Epiſt. ad Synod. Friſ.* (quæ prudenter conſtituerat, *vt in poſterum Theologiæ candidati, quotquot ad Examen Miniſterii Eccleſiaſtici admitti deſiderarunt, exhiberent etiam teſtimonia Profeſſorum Hebrææ & Græcæ lingg. &c.*) ſcribit. *Diſſimulare ſine ingratitudine non poſſumus, quanta merito lætitia perfuſi ſimus, quod & Hebrææ linguæ rationem habendam ſanctiſſime & prudentiſſime Gallicarum Eccleſiarum more* (quo ſcilicet Theologiæ Candidato in vtriusque Teſtamenti & textu originali illud, quod præſidi codicem aperienti ſe primo exhibet, caput legendum & interpretandum proponitur, teſte Sixt. ab Amama Antibarb. Bibl. pag. 216.) *ſtatuitis. Alioquin enim verendum eſt, ne, quemadmodum ſacrarum linguarum ſtudiis, patrum noſtrorum memoria ſuſcitatis, ſimul veritas pæne ſepulta emergere cœpit, ac caput attollere, ita contra, ſtudiis hiſce neglectis, in priſtinam barbariem & veritatis iacturam relaberemur. Gratulamur igitur vobis, Patres Reu. inſignem illam pietatem & prudentiam, quod & Eccleſiæ DEI (quam ſanguine ſuo acquiſiuit) laboranti ac ruinam militanti ſalutarem ſtatuti veſtri manum, primi in Belgio ſubieciſtis. Quo fit, vt SS. Theolog. Studioſi, qui ad Miniſterii Eccleſiaſtici munus adſpirant, recto ordine procedant, Scripturamque* NON PER SOLAM VARIAE INTERPRETATIONIS TRANSENNAM *eminus adſpiciant,*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0020

spiciant, sed eam penitus intueantur ac scrutentur, sanctarum Linguarum subsidio adiuti. Quomodo & certius veritatem docere & eruditis aduersariis occurrere valebunt &c. Plura talia vide apud Iunium, *elogio Grammat. præfixo, & præfat. in Bibl.* it. *Buxt. præf. Lex. Talmud. Rabb.* in primis vero apud Erpenium *Orat. de Lingu. Ebr.* it. Sixtin. ab Amama *in paræneſi*, & Clariſſ. Hulſium *orat. pecul. Nomenclat. eius ſubiuncta.*

§ 10. Nec prætereundi hic ſunt ipſi ſaniores in his Pontificii. Etenim quid doctiſſimus Eraſmus de ſtudii huius neceſſitate ſenſerit, ſatis ipſe prodit in profundæ eruditionis opere Adagiorum, titulo *Temeritatis*, vbi illuſtraturus prouerbium: *Illotis manibus & pedibus rem aggredi*, hunc in modum diſſerit pag m. 684. *Prouerbium vſurpabitur in eos, qui vel audacius, vel parum inſtructi rebus his, quibus oportuit, negotium inuadunt; veluti ſi quis diuinas litteras interpretari conatur, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ Linguæ rudis & imperitus: ſine quibus non ſtultum modo, verum etiam impium eſt, Theologiæ myſteria tractanda ſuſcipere. Quod tamen, heu nefas, iam paſſim plerique faciunt, qui frigidis aliquot inſtructi Syllogiſmis & puerilibus ſophiſmatis: DEVM immortalem, quid non audent? quid non præcipiunt? quid non decernunt? Qui ſi poſſent cernere, quos riſus, vel potius quem dolorem mouerent linguarum & antiquitatis peritis, quæ portenta proferant, in quam pudendos errores ſubinde prolabantur: nimirum puderet illos tanta temeritatis & vel ſenes ad prima litterarum elementa redirent. Nullus vnquam ſententiam alicuius intellexit ignarus ſermonis, quo ſententiam ille ſuam explicuit. Proinde D. Hieronymus, cum conſtituiſſet arcanas interpretari litteras, ne illotis, vt aiunt, pedibus rem tantam aggrederetur, quæſo num ſophiſticis nugis inſtruxit ingenium? minime. Quid igitur? inæſtimabili ſudore trium linguarum* (Latinæ, Græcæ & Hebraeæ) *peritiam ſibi comparauit. Quas qui ignorat, non Theologus eſt, ſed ſacræ Theologiæ violator, At vere manibus pariter ac pedibus illotis, rem omnium maxime ſacram non tractat, ſed profanat, conſpurcat, violat.* Sic Marſennus Theolog. Pariſ. *in Obſeruat. ad Probl. D. Veneti pag. 336. Operæ pretium eſſet*, ait, *vt Chriſtiani diligentius Hebraeæ Linguæ incumberent.* Poſſeuinus in Bibliotheca ſelecta: *In Ebraica ſcriptura*, inquit, *tot ſunt ſacramenta, quot litteræ, tot myſteria, quot puncta, tot arcana, quot apices.* Sic Benedictus Arias Montanus in Præfat. ad Operis Regii Antvverp. Tom. I. fol. 1. & 6. de ſumma & pæne abſoluta (vt vocat) Linguæ Hebraeæ cognitione erudite, & copioſius, quam vt anguſtia huius conſilii capiat, diſſerit, *nullumque quamuis maximum laborem, nullum vel effuſiſſimum ſumtum ad ſacras litteras in Textu Originali intelligendas non ſuſcipiendum, ſuſtinendum atque impendendum eſſe aſſerit.* Et

Alphonsus Mendoza, Theologus Salmanticensis, in quæstionibus positiuis: *Dico non posse meo iudicio vere dici Theologum, qui in Hebraicis litteris non mediocriter fuerit institutus.* En Papistas hic ὀρθοδοξοτέρους multis hodie non Papistis.

§. 11. Reliquarum Sectarum defensores nunc vt prætermittamus, vnicus adhuc ex Arminianis Episcopii locus dignus est, qui adducatur. Habetur autem ille *Vol. I. part. II. operum eius, Respons. ad Epist. Iesuitæ Wacongi, cap. III. pag. 105.* hisce verbis: *Si plebeii & indocti omnes certi essent, se consecuturos, aut consequi posse rationem lucrandi centum millia florenorum, si modo linguam Hebræam aut Syriacam scirent, an indecorum & pretium operæ non putares eos facturos, si eam addiscerent? ipsi procul omni dubio, si modo id crederent, repente ex indoctis fierent docti, & vel vnam & viginti linguas cum Mithridate, quin immo septuaginta duas linguas cum senatoribus Sanhedrin Iudaicæ discerent potius, quam tanto damno se ipsos mulctarent. Iam vero cum ex linguæ diuinæ cognitione cœlestes & incomparabiles illos diuinorum præceptorum & promissorum thesauros omni pretio maiores comparare sibi & nanciscí queant, mirum ne tibi videretur, si iudicarent operæ pretium, adeoque esse necesse, vt Hebraice scire laborent? Certe Iudæi hac in parte Christianis ruborem suffundunt, quippe qui infantes suos a primis annis in Hebrææ linguæ cognitione, siue Hebrææ legis diuinæ aliorumque sacrorum rituum cognitione erudiunt, adeo sollicite, vt nullus puer reperiatur, qui non Hebræa omnia, cum punctis & sine punctis, prima statim ætate legat, canat & intelligat.* Atque hæc pro summa vtilitate & necessitate Studii SS. linguarum hac vice adduxisse sufficiant.

§. 12 Quandoquidem vero, vt ingeniosa est inertia, a variis varia hic prætendi solent & obiici, ne forte ad sanctiora hæc studia discenda nimium adigantur; non possumus, quin breuiter illa quoque effugia, vel obiectiones vna cum magnorum virorum ad ea responsionibus, ne quid affectibus tribuatur, hic exhibeamus. Primo itaque excipere solent: *non videri operæ pretium, vt tantum temporis & laboris Grammaticæ Hebrææ* (ita enim studium Lingg. Sacr. & textus origin. μισόγραφοι illi per contemtum vocare solent) *impendatur.* Quibus vero pro me respondeat tum B. Lutherus Serm. Conuiu. LXIX. fol. 420. Wenn ich wiederum wolte in der Ebräischen Sprache studiren, so wolte ich die besten Grammaticos für mich nehmen und lesen: tum communis ille Germaniæ Præceptor, Phil. Melanchthon, quando alicubi scribit: *Scriptura non potest intelligi Theologice, nisi prius intelligatur Grammatice.* Et Orat. supra alleg. *Vere Ecclesia est Grammatica, interpres diuini sermonis.* Et B. Chemnitius L. L. Theolog. *part. 2. p. m.* 202.

202. *Ecclesia*, inquit, *tantum debet esse Grammatica*, i. e. *non debet fingere res nouas, aut noua dogmata gignere, sed ea, quæ a Spiritu Sancto tradita sunt, debet discere, ex genuina significatione vocabulorum: & postea ostendemus, neglectum veræ Grammaticæ omnium errorum fuisse fontem.* Et pag. 229. scribit: *non possumus custodes esse doctrinæ diuinitus repurgatæ, nisi Grammaticam discamus & amemus.* Idque ibidem probat insigni exemplo, ex articulo de Iustificatione desumto. *Nec enim*, pergit Theologus summus l. c. *agitur hic de bello, vt vocant, Grammaticali, sed in præcipuis locis doctrinæ, quantum erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amittitur.* Similiter B. Walth. Offic. Bibl. pag. 680. *Non firmiora aut tutiora argumenta peti possunt, quam quæ ex Grammatica & loquendi more a Spiritu S. vsurpato, arcessuntur.* Et B. Geierus: *Grammaticæ cognitionem negligere velle ex quorundam placito, est nauem permittere solis ventis non curata pyxide nautica.* Hinc Iac. Martini in Speculo rationis lib. II. c. 11. p. 818. Wer im Studio Theologico recht studiren will, muß Grammaticam hoch halten, und allerhand Sprachen lernen, damit er nicht durch Interpretem, sondern den Heil. Geist in seiner selbst eigenen Sprache hören, ihn verstehen, mit ihm reden, und von denen Versionibus iudiciren, die Widersacher, so die fontes turbiren, hintertreiben, confutiren und mächtig überwinden könne.

§. 13. Deinde etiam plerumque excipiunt illi tricones ἀνιερόγλωσσοι: *Versiones hodie extantes, (quæ vtique ex studio linguarum meliores expectandæ non sint) facile sufficere posse, nec adeo superstitiose Textum Hebræum & Græcum venerandum esse; siquidem in apicibus litterarum, aut sono vocabulorum, reapse vis alicuius sermonis sita non sit, sed in eo, cuius litteræ & voces sint signa:* Vel vti B. Lutherus eorum obiectionem nobis reliquit, in der Vermahnung an die Rathsherren aller Städte in Deutschland, *Tom. II. Ien. Germ. pag. 458. vel Tom. II. Altenb. pag. 808. hisce verbis*: Ja, sprichst du, was ist uns aber nütze, Lateinische, Griechische und Ebräische Zungen (Sprachen) zu lehren? Könten wir doch wohl deutsch die Bibel und GOttes Wort lehren, die uns gnugsam ist zur Seligkeit. Quos vero ibid. pro merito excipit vir beatus, quando statim subiicit: Ja ich weiß leider! wohl, daß wir Deutschen müssen immer Bestien und tolle Thiere seyn und bleiben, wie uns die umliegenden Länder nennen, und wir auch wohl verdienen. Mich wundert aber, warum wir nicht auch einmahl sagen, was sollen uns Seiden, Wein, Würtze, und der fremden ausländischen Waaren; so wir doch selbst Wein, Korn ꝛc. nicht allein die Fülle haben, zur Nahrung, sondern auch die Kühr und Wahl zu Ehren und Schmuck? ꝛc. ꝛc. Et Tom. eod. Altenburg. pag. 309. Ich weiß fürwahr, daß wer die Schrifft predigen soll und auslegen, und hat nicht Hülffe aus Lateinischer, Griechischer und Ebräischer Sprache, und soll es allein aus seiner Mutter-Sprache (ex versione tantum) thun) der wird gar manchen schönen Feilgriff thun. Denn ich erfahre, wie die Sprachen über die massen helffen zum lautern Verstand göttlicher Schrifft. Sic B. Franzius de interpr. Script. p. 33. *Omnino inconcussum manet hoc, quod Sacer Codex sit Scriptura Omniscii & ἀναμαρτήτου Dei; sed versiones sint scripta hominum, qui labuntur multi-*

tipliciter. Et pag. 53. *Qui nosse cupit verbum Dei, vt ab autore Deo fuit ortum, citra vllam detorsionem purum putumque, is illud non leget, aut intelliget, nisi in eadem lingua, qua a Deo primitus est promulgatum.* Pariter B. Dilherrus in Icaro Acad. lit. F. 3. *Vnica,* inquit, *huiusmodi doctrina ex natiuarum significationum visceribus eruta, plus habet roboris, quam plaustra locorum communium.* Et Doctissimus Sixt. ab Amama in Antib. Bibl. p. 125. *Ebræa lingua suas habet proprietates aliis imperceptibiles, & Spiritus S. (qui non solum materiam, sed & verbum suis Amanuensibus inspirauit) eiusmodi characteres maiestatis, grauitatis & ἐνεργείας, huic authentico textui impressit, quos nulla interpretatio valet exprimere.* Sic eleganter Clarissimus Hottingerus disputat. 1. primit. Heidelberg. *Multa,* inquit, *versionibus deberi fateor, non tamen plura, quam quibusuis aliis Commentariis, humana industria elaboratis. Habeant illa & retineant laudem suam, saluis interim & illibatis fontibus, quorum examen Ministro commendare debet:* I. Emphasis Verborum, *quæ maior sæpe est in originali contextu, quam vno & altero interpretum vocabulo, quacunque alia lingua exprimi queat.* II. Versionum discrepantia, *in qua vel enucleanda, vel conciliandа vna hæc omnibus præsto est Cynosura. Si Medicis* Galenus & Hippocrates: *Philosophis* Aristoteles *originaria lingua maxime placet, quid Theologis conueniat, procliue est coniicere. Tanto enim in Theologia παρερμηνεῖαι periculosiores sunt, quanto anima præstat corpori.* Amatus Lusitanus in Scholiis curat. I. cent. 1. *luculentissimo docuit exemplo, quam non liceat impune peccare in translatione* Auicennæ *Medici. Morsum Viperæ curare iussit Celeberrimus (primas enim ei post Galenum deferunt) Arabs* אלתום allio; *sed* אלבום *interpretis* ἀβλεψία *irrepsit, quod* somnum *notat, non sine vitæ discrimine. In Theologicis quot deuiæ a textu Originali peperierint versiones noua in Ecclesia dogmata, ea præsertim ætate, qua Vulgata editio omnia pæne pulpita Templorum & Academiarum occupauit; alibi iam apertius demonstrauimus. Hodierno die, etsi in tanta litterarum luce, versiones exactæ & accuratæ non desint, semper tamen manet:* Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Immo ex Pontificiis ipsis Gretserus alicubi scribit: *Hebræus textus hanc habet prærogatiuam, vt ipsa etiam verba immediate sint a DEO, quod in translatione non contigit; cum verba suppeditet interpres, & quidem humano studio, non illo peculiari ductu & instinctu Spiritus S.* Ita Aloysius Catanæus in concil. Trid. monuit, Card. Caietanum sæpe dicere solitum: *Eum, qui Latinum solummodo Textum intelligeret, dici non posse, INFALLIBILE DEI Verbum intelligere; talis enim,* inquiebat, *solummodo intelligit vocem interpretis, qui Erroribus obnoxius est.*

§. 14.

§. 14. Præterea ignorantiæ suæ solatium quærunt miseri in Patrum ignorantia, ceu patet ex B. Luther. *Tom. II. Ien. Germ. pag. 459. vel Tom. II. Altenb. pag. 809.* vbi eius hæc habentur verba: Ja, sprichst du, es sind viel Väter selig worden, haben auch gelehrt ohne Sprachen: quibus vero itidem l. c. respondet: Das ist wahr. Wo rechnest du aber auch das hin, daß sie so offt in der Schrifft gefehlet haben? Wie offt fehlet S. Augustinus im Psalter und andern Auslegungen, so wohl als Hilarius, ja auch alle, die ohne die Sprachen sich die Schrifft haben unterwunden auszulegen? Und ob sie gleich etwan geredet haben, sind sie doch der Sachen nicht gewiß gewesen, ob dasselbe recht an dem Orte stehe, da sie es hindeuten. Als daß ich des ein Exempel zeige. Recht ist es geredet, daß Christus GOttes Sohn ist. Aber wie spöttlich lautet es in den Ohren der Widersacher, da sie des Grund führeten aus dem 110. Psalm: Tecum principium in die virtutis tuæ, so doch daselbst in der Ebräischen Sprache nichts von der Gottheit geschrieben stehet. Wenn man aber also mit ungewissen Gründen und Fehl-Sprüchen den Glauben schützet, ists nicht eine Schmach und Spott der Christen bey den Widerfechtern, die der Sprache kundig sind? und werden" nur halsstarriger im Irrthum, und halten unsern Glauben mit gutem Schein für" einen Menschen-Traum. Wes ist nun die Schuld, daß unser Glaube also zu schanden wird? Nemlich, daß wir die Sprachen nicht wissen, und ist hie keine Hülffe, denn die Sprachen wissen. Ward nicht St. Hieronymus gezwungen, den Psalter von neuen zu verdollmetschen aus dem Ebräischen, um des willen, daß, wo man mit den Jüden aus unserm Psalter handelt, spotten sie unser, daß es nicht also stünde im Ebräischen, wie es die Unsern führten? Nun sind aller alten Väter Auslegung, die ohne Sprachen die Schrifft haben gehandelt, (ob sie wohl nichts unrechts lehren) doch dergestalt, daß sie fast offt ungewisse, unebene, unzeitige Sprachen führen, und tappen wie ein Blinder an der Wand, daß sie gar offt des rechten Textes fehlen, und machen ihm eine Nasen nach ihrer Andacht, wie dem Vers, droben angezeiget, Tecum principium &c. daß auch St. Augustinus selbst muß bekennen, wie er schreibet de doctrina Christiana, daß einem Christlichen Lehrer, der die Schrifft soll auslegen, noth sind, über die Lateinische, auch die Griechische und Ebräische Sprachen, es ist sonst unmüglich, daß er nicht allenthalben anstosse: Ja noch Noth und Arbeit da ist, ob einer die Sprachen schon wohl kan.. dahero kommts, daß sint der Apostel Zeit die Schrifft so finster ist blieben, und nirgend gewisse beständige Auslegungen darüber geschrieben sind. Denn auch die heiligen Väter (wie gesagt) offt gefehlet, und weil sie der Sprachen unwissend gewesen, sind sie gar selten eins, der fähret sonst, der fähret so.. derohalben haben auch die Sophisten gesagt, die Schrifft sey finster: haben gemeinet, GOttes Wort sey von Art so finster, und rede seltsam. Aber sie sehen nicht, daß aller Mangel liegt an den Sprachen, sonst wäre nichts leichters je geredet denn GOttes Wort, wenn wir die Sprachen verstünden. Ein Türcke muß mir wohl finster reden, welchen doch ein Türckisch Kind von sieben Jahren wohl vernimmt, dieweil ich die Sprache nicht kenne. "Darum ist das auch ein toll Fürnehmen gewesen, daß man die Schrifft hat wollen lernen durch der Väter Auslegen, und der Bücher und Glossen lesen. Man solte" sich dafür auf die Sprachen begeben haben. Denn die lieben Väter, weil sie ohne Sprachen gewesen, haben sie zuweilen mit vielen Worten an einem Spruch gearbeitet, und dennoch nur kaum hinnach gahmet, und halb gerathen, halb gefehlet. So lauffest du denselben nach mit viel Mühe, und könntest dieweil durch die Sprachen denselben viel baß selbst rathen, denn der, dem du folgest. Denn wie die Sonne gegen dem Schatten ist, so ist die Sprache gegen" aller Väter Glossen: Weil denn nun den Christen gebühret, die heilige Schrifft zu üben,"

"als ihr einiges Buch, und eine Sünde und Schande ist, daß wir unser eigen Buch nicht wis-
"sen, noch unsers GOttes Sprache und Wort nicht kennen, so ists noch vielmehr Sünde und
"Schande, daß wir nicht Sprachen lernen, sonderlich, so uns ietzt GOtt darbeut, und giebt
"Leute und Bücher, und allerley, was darzu dienet, und uns gleich dazu reitzet, und sein
"Buch wolte gerne offen haben. O wie froh solten die lieben Väter gewesen seyn, wenn
"sie hätten so können zur heiligen Schrifft kommen, und die Sprachen lernen, als wir
"können! Wie haben sie mit grosser Mühe und Fleiß kaum die Brocken erlanget, da wir
"mit halber, ja schier ohne alle Arbeit das gantze Brodt gewinnen könten! O wie schän-
"det ihr Fleiß unsere Faulheit! Ja, wie hart wird GOtt auch rächen solchen unsern
"Unfleiß und Undanckbarkeit! dahero gehöret auch, das St. Paulus 1. Cor. 14. will,
"daß in der Christenheit soll das Urtheil seyn über allerley Lehre, darzu allerdings von
"nöthen ist, die Sprachen zu wissen. Darum ob wohl der Glaube und das Evange-
"lium durch schlechte Prediger mag ohne Sprachen geprediget werden, so gehts doch faul
"und schwach, und man wirds zuletzt müde und überdrüßig, und fällt doch zu Boden.
"Aber wo die Sprachen sind, da gehets frisch und starck, und wird die Schrifft durchtrieben,
"und findet sich der Glaube immer neu, durch andere und aber andere Wort und Wercke,
"daß der 104te Psalm solch Studiren in der Schrifft vergleichet einer Jagd, und spricht:
"GOtt öffne den Hirschen die dicken Wälder; und Psalm 1. einem Baum, der immer
"grünet, und immer frisch Wasser hat. Et paulo post de Waldensibus: Weil sie ohne
Sprachen bleiben, wird ihnen mangeln müssen, daß sie die Schrifft gewiß und gründlich
nicht handeln mögen: Weil sie aber das wohl thun könnten, und nicht thun wollen,
mögen sie zusehen, wie es für GOtt zu verantworten sey.

§. 15 Denique etiam non raro excipiunt, *se velle tantum Pastores rusticanos* (paganos inquam) *fieri; ad quid igitur sibi illa linguarum sacrarum studia, rusticis vtique non profitenda*? Quos vero B. Wasmuthus, fortissimus Hebraicæ veritatis propugnator, *in Heautontimor. Conring. pag. 70.* mascule pro more suo excepit, quando ibid. scribit: *Eadem opera illi Boues & ignauum pecus citius quam Pastores futuri, omnibus liberalibus studiis & Logicæ & Metaphysicæ ipsique linguæ Latinæ, (quod & iam proxime expectatur) nuncium remittere possent; cum & ea non magis apud Rusticos suos sint professuri. Ex hac iam vero deploranda, immo detestanda ignauiæ προφάσει, in Academiis hodie plerisque dudum euenire videmus, vt præ 20. aut 30. Collegiis Philosophicis vix vnum atque alterum Linguæ sanctæ haberi audiatur; aut si quid tentent aliqui, nihil atrocius caueant, quam ne vltra* RADICIS EXTRACTIONEM *promoueant pigri; nam nec Præpositos suos, aut Superintendentes, magnos Doctores aliquando plura didicisse dicunt, quales ipsi vix futuri sint. At interim vero videmus subinde tales socios & Fratres ignorantiæ, meros* POSTILLATORES, *vix litteras Hebræas satis doctos, nilominus supremas deinde affectare quasque dignitates, (& quid si etiam Theologicas aliquando Professiones) qui alios tunc meliora doctos, omnibus premunt modis, ne sint, qui ipsos de imperitiæ possessione deiecturi metuantur, &c.*

Et

Et in programm. contra D. Conring. pag. 11. *Adeo profundas apud eos egit radices ἀνεβραϊσίας perſuaſio, tanta Præceptorum* (Anteceſſorum) *autoritate nixa, vt nouo ſeculum hoc egeat Dauide Burgundo Epiſcopo Vltraiectenſi, qui cum e trecentis candidatis munium ſacrorum tres tantum litteraxum ſacrarum peritos admiſiſſet, & ab amicis moneretur, reputandum eſſe, quod hoc ſeculum non gignat Paulos aut Hieronymos, iuſto zelo reſpondit: Se nec Paulos, nec Hieronymos requirere, ſaltem* ASINOS *pro hominibus admittere nolle.* Quæ omnia tandem obſignare licebit Scaligeriano iſto *lib. 3. Epiſt. p. 245.* STVDIA LINGVARVM NEMO BONVS VNQVAM NON AESTIMAVIT, NEMO MALVS NON CONTEMSIT.

§. 16. Quibus ſic κατ' ἄρσιν præmiſſis, iam κατὰ θέσιν *& per poſitionem* requirimus (*a*) Neceſſariam ante omnia *Protheoriam Generalem Præceptorum.* Quamuis vero minime probemus illos, qui in mera Grammatices explicatione occupati ſunt, nec vnquam ad Scripturæ S. lectionem accedunt: non poſſumus tamen & illos probare, qui totam Linguam S. vſu tantum diſcendam eſſe & proinde neglecta omni Theoria Præceptorum, ſtatim ad Praxin ſeu continuam Bibliorum lectionem (illotis ſane manibus & pedibus, quod aiunt) procedendum ſuadent. Quam enim peruerſa methodo hi incedant, dudum docuit Cl. Bauerus Lingu. S. olim ap. Lipſ. Prof. Publ. *in Præfatione* Oraculis V. T. præmiſſa, quando ſcribit: *Nonnulli ἀεροβατῶντες, neſcio quo opinionis errore faſcinati, præcepta Grammatices prorſus proſcribunt, & more Rabbinico aut Ratichiano, ad vſum ſiue ipſum codicem Hebræum euoluendum extemplo feſtinant. At vero quid præſtent illi præceptorum Grammatices oſores, & quo vsque perueniant, ſuo cum damno ac rubore experiuntur; haud abſimiles Icaro ac Phaetonti, quorum hic ſolis currum artis ignarus affectauit; ille ſine pennis volauit. Etenim, tum Iudæi, licet minorennes ſine arte integrum Pentateuchum legere ac interpretari poſſint; adultiores tamen facti & ad dignitatem Rabbinicam adſpirantes, ad R. Eliæ, aut R. D. Kimchi Elementa; tum Ratichianæ Methodi amatores & æſtimatores poſt multiuias & reciprocas ambages, ad claſſicorum autorum præcepta Grammatices tandem recurrere, eademque non ſine tædioſo labore addiſcere neceſſe habent, ſi ſolidi quid in Hebraica litteratura proficere velint. Medio itaque tutiſſimus ibit, quisquis hic feliciter metam attingere volet.*

§. 17. Atque ſic a primis Elementis orſurus Hebræophilus noſter, ſimul ac litteras & vocales modo norit ex pag. 1. & ſeqq. luſtret *Tabulam illam Synopticam toti operi præmiſſam,* & ex ea conſideret totius Grammaticæ noſtræ ſimul & *Hebraiſmi Wasmuthiani* ſtructuram, ſicque obſeruet *partes maiores,*

ſeu

seu *capita* eius VIII. esse, *Minores* autem seu *Regulas* esse L. plane secundum natiuum Linguæ ordinem dispositas. Quem naturalem ordinem vt eo rectius intelligat tyro Hebræus (1.) cogitet, in omni lingua addiscenda primum locum occupare ea, quæ ad *Lectionem* eius requiruntur: & sic cognoscat Cap. I. *DE ELEMENTIS Linguæ Hebrææ;* & quidem ante omnia, *litterarum, vocalium, & ministri vocalium* figuras, valorem & potestatem. Hinc Reg I. II. III. IV. V. VI. VII. agent *de Scheuaiim & Dageſch, ceu nexibus litterarum & vocalium.* Reg. VIII. *de Effectu nexus litterarum & vocalium, nim. de Syllabis.* Reg. IX. *de Sede Accentus Tonici.* Reg. X. *de Translatione Accentus Tonici* e sua sede naturali. Hinc Reg. XI. *de Accentu Euphonico;* & tandem Reg. XII. *de Discrimine Cametz catuph* a ˏ *longo & Cateph Kametz,* vtpote ex præcedentibus demum regulis recte dignoscendo. (2.) Post *lectionem* vocis, statim sollicitus esse debet Hebræophilus de *Significatione & Etymologia* eius. Hæc quia ex Lexicis discenda est, & vero Lexica Hebræa plerumque non vti Latina pleraque sec. ordinem Alphabeticum singularum vocum, sed secundum ordinem Radicum seu Primitiuorum scripta sunt: Igitur statim CAPVT II. & sic doctrina de *Etymologico discrimine litterarum,* adeoque *inuestigatione Radicis* sequitur. Atque ita, quia *Radix,* seu primitiuum, constat suis litteris *radicalibus;* Deriuatum autem plerumque præter radicales etiam quibusdam *seruilibus;* Hinc agit Reg. XIII. *de litteris Radic. & seruilibus in genere.* Reg. XIV. *de Punctis litterarum Radicalium & seruilium in genere.* Reg. XV. *de Diuisione litterarum seruilium in Essentiales & Extraessentiales.* Reg. XVI. *de litteris Extraessentialibus Paragogicis.* Reg. XVII. *de litteris Extraess. Epentheticis.* Reg. XVIII. *de litteris Extraessent. Præfixis, seu Consignificatiuis.* Post inuestigatam sic vocis radicem, Hebrææ linguæ cultor vlterius sollicitus esse debet de specie illius vocis; & quærere, an præsens vox sit *Nomen?* an vero *Pronomen?* An *Verbum regulare,* an *irregulare?* Vnde (3.) Cap. III. & simul Reg. XIX. agit *de Nomine.* (4.) Cap. IV. & simul Reg. XX. *de Pronominibus, tum separatis, tum inseparabilibus.* (5.) Cap. V *de Verbo regulari,* & quidem Reg XXI. *de Coniugationibus in genere.* Reg. XXII. *de Temporibus in genere.* Reg. XXIII. vsque ad XXVIII. *de Coniugationibus, earumque specialibus Temporum formis in specie.* (6.) Sic & Cap. IV. *de Verbo Irregulari seu Anomaliis vocum;* quæ triplices sunt, nim. vel ob lit. *Gutturales,* vel *Quiescentes,* vel *Defectiuas.* Hinc Reg. XXIX. & XXX. *de Anomalia litterarum Gutturalium.* Reg. XXXI. vsque ad XXXVII. *de Anom. litterarum Quiescentium.* Reg. XXXVIII. vsque ad XLII. *de Anom. litterar. Defectiuarum,* quibus subnectitur Reg. XLIII. *de Anom. Verborum confundentium formas.* Hinc (7.) Inserta de præcipuis Particulis separabilibus. (8.) Restat deni-

denique Doctrina de *Mutatione Vocalium*, *ceu* omnibus partibus orationis communis, quæ igitur ad vltimum seruata, demum Cap. VII. & vlt. proponitur. Et quia *Mutatio Vocalium* est vel *Euphonica*, hinc Reg. XLIV. *de eadem agitur:* vel *Necessaria*, cui præmittitur per modum præmonitionis Regula XLV. *de Vocalibus immutabilibus tam in Nominibus, quam Verbis*, ceu *Generalis* quædam *Exceptio* a sequentibus Regulis simul omnibus, quibus alias semper ingeminanda ea denuo fuisset. Hinc. Reg. XLVI. *agit de necessaria Mutatione vocalium in Nomine tantum, per VIII.* Membra, sec. ordinem Vocalium. Reg. XLVII. *de Affixis verborum, & Punctis eorum cum verbis.* Reg. XLVIII. *de mutatione Vocalium in Verbis ob Subfixa per* VI. Membra, itidem sec. ordinem Vocalium. Reg. XLIX. agit *de mutatione terminationis seruilis in verbis ob Affixa.* Et tandem Reg. L. *de Mutatione Vocalium in particularum præfixione cum affixis Pronominum Personalium.* Tandem subiiciuntur *Idiotismi Syntactici & Poëtica Hebræorum.*

§. 18. *Tabula hæc Synoptica* sic bene lustrata; immittat se Hebræophilus in ipsam Grammaticam, & attente perlegat. (1.) Capitis I. Regulam I. II. III. VI. VII. VIII. IX. & X. Memb. IX. Itemque Reg. XI. & XII. quippe quæ in primis ad *lectionem* facient. Atque harum qualicumque percepta prænotione, statim ingrediatur *Exercitium lectionis* illud, quod eum in finem initio nostræ *Praxeos Analyticæ in Parte III.* huius opusculi, Latina expressione genuinæ pronunciationis, est subiectum Hebræo textui, distinctis semper syllabis, cum tono & charactere diuerso Vocalium, quantum licuit. Consideret iam circa Voces legendas (α) *Litteras*, & quidem an habeant *Scheua* an *Vocalem*? Si Scheua, videat, an illud Mobile, an quiescens sit? ex Reg. I. atque recordetur inde, Scheua illud nunquam cum sua littera facere Syllabam, sed nectere tantum illam vel cum seq. littera, (si scil. fuerit Scheua mobile); vel cum præcedente, si fuerit Scheua quiescens; itidem ex Reg. I. Si vero litteræ habeant Vocalem, videat, an longa sit illa vocalis, an breuis? Si longa, constituet & absoluet illa vna cum sua littera *Syllabam*, & quidem *simplicem;* sin breuis, ordinarie non constituet aut absoluet Syllabam, sed attrahet sequentem litteram vel per *Dageseh*, vel per *Scheua*, & sic faciet *Syllabam Compositam* ex Reg. VII. (β) Consideret *Accentum Tonicum*, an is in vltima, an in penultima sit? sec. Reg. IX. nec non Accentum Euphonicum *Metheg*, si forte adsit sec. Reg. XI. atque ita instituat Praxin huius Cap. I. *in Lectione*, & quidem clara voce, donec lingua peregrino huic Idiomati adsuescat, ne dehinc ad singulas occurrentes voces titubet. (2.) Nunc obiter saltim lustret Reg. IV. V. & X. ac statim se conferat ad Cap. II. quod agit de Etymologia & *Deriuatione vocum*, seu, vt vul-

go dici solet, *de Inuestigatione Radicis*, atque his ex Reg. XIII. accurate discernere discat *a Radicibus*, litteras *seruiles*, quæ sunt: מִשְׂהָ וְכָלְבָ אֲתִין, & sciat, litteras illas non sic dici *seruiles*, quasi semper seruiant; sed quod seruire possint, sc. litt. אֲלְבָּשׁ circa initium tantum: הַמְכִן circa initium & finem: יוֹת vbique: peruoluat dehinc leui opera Reg. XIV. XV. XVI. & XVII. sed XVIII. accuratius paulo sec. Membra sua consideret. (3) Progrediatur nunc porro ad Cap. III. *de Nomine*, idque attentius etiam vna cum suis octo affectionibus sec. totidem membra pertractet. (4.) Tum pergat ad Cap. IV. *de Pronominibus, tam Separatis, quam Affixis*, eamque doctrinam accurate memoriæ mandet, quia huius præcognitio vbique, in primis vero in Verbis vsum suum singularem exerit. Probe hoc capite cognito (5.) immittat se in Cap. V. *de Verbo regulari*, & Reg. XXI. & XXII. accuratius paulo legat: Ex reliquis vero Regulis sc. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. lustret saltim Memb. I. & II. atque ex iis significationes & characteres singularum Coniugationum bene obseruet: Membrum autem III. reseruet futuræ Praxi Analyticæ. Hisce sic perceptis, fideliter memoriæ mandet Paradigma פָּקַד & in eo quidem (*a*) *Præterita omnia*, in primis v. Præteritum primæ Coniug. seu Kal. Consideret hic litteras Characteristicas Personarum, sc. in fine הָ, tertiæ sing. Fœm., תָ 2. sing. Masc., תְ 2. sing Fœm., תִי 1. sing. Comm., וּ 3. plur. Comm., תֶם 2. plur. Masc., תֶן 2. plur. Fœm., נוּ 1. plur. Comm. Quarum pleræque desumtæ sunt ex Pronominibus personalibus, eorumque vltimis syllabis, vti ex collatione cum Reg. 20. patescet. Hoc præterito bene cognito, ita vt Hebræophilus illud tum sec. ordinem personarum, tum extra ordinem possit recitare; pergat ad reliquorum quoque Præteritorum flexionem, quæ plane eadem erit cum flexione primæ Coniugat. actiua, seu Kal, obseruatis saltem reliquarum Coniugationum Characteristicis: & in his quoque eo vsque (per horam forte) se se exerceat, dum memoria omnes omnium coniugationum personas fideliter secundum & extra ordinem reddere possit. (*β*) *Futura* quoque omnia. Atque hic iterum consideret Characteristicas Futuri tum ab initio *præformatiuas* אֲתִין sc. א 1. Personæ sing., תּ 2. pers. & יּ 3. pers masc. sing. & נ 1. pers. plur., tum a fine *afformatiuas* יוּנָה, nim. וּ 2. sing. Fœm., וּ 2. & 3. plur. Masc., נָה 2. & 3. plur. Fœm. Quæ itidem per horam vti Præterita exerceantur. (*γ*) Hisce bene cognitis, vltro notæ erunt formæ *Imperatiui & Infinitiui*, sc. ex secundis personis Futurorum, abiiciendo tantum Characteristicas Futuri, vt in Kal & Piel; vel substituendo litteram Characteristicam Imperatiui nim. ה in locum Characteristicarum Futuri אתין, vti in reliquis Imperatiuis & Infinitiuis. (*δ*) Vlterius assumat *Participia*, eaque fle tat instar Nominum, ceu omnia hæc patent ex ipso Paradi-

radigmate. Quod Paradigma, ſi vel cum ſodali vel etiam ſolitarie bene exerceatur, nulla dehinc fere in vniuerſa lingua reſtabit difficultas. (ε) Vt tamen Paradigma illud firmius adhuc infigatur memoriæ, flectatur vnum alterumue Verbum regulare, e. g. מָלַךְ *regnauit* & שָׁמַר *cuſtodiuit* ſecundum normam paradigmatis פָּקַד, vbi ſolum ex Reg. XXVIII. Memb. III. obſeruetur, quod verbum שָׁמַר in Hithpael litteram שׁ ſeu ſibilem cum ת transponat, vt ita loco הִשְׁתַּמֵּר fiat הִתְשַׁמֵּר &c. (6.) Hiſce præcedentibus ſufficienter cognitis, peruoluat iam CAPVT VI. *De Anomaliis vocum*, & in eo attendat, tria tantum Anomalorum genera eſſe, ſcil litterarum *Gutturalium*, *Quieſcentium* & *Defectiuarum*, quæ ab initio leuiter ſaltim in ſuis Regulis peruoluat. (7) Eodem etiam modo percurrat Cap. VII. *de Mutatione Vocalium*, ac denuo attendat, illam eſſe vel (α) *Euphonicam* in Reg. XLIV. vel (β) *neceſſariam*, eamque vel in *Nomine* tantum, ſec. Reg. XLVI. vel in *Verbo* tantum, ſec. Reg. XLVII. XLIIX. & XLIX. vel denique in Particulis, ſec. Reg. L.

§. 19. Præmiſſa nunc tali, vt diximus, Theoria, requirimus (β) *Praxin Grammaticæ*, qua Hebræophilus ſtatim aggrediatur Partem III. huius Atrii, nim. *Analyſin Hebræo-Practicam*, planam admodum & dilucidam e natiuo omnium Notionum Grammaticarum nexu ſic adornatam, ſecundum Regulas vel huius *Compendii* vel & *Hebraiſmi Reſtituti* B. Wasmuthi, e quibus ſemper modo Exempla ad Regulas accommodando, non poterit non vel quiuis mediocri ingenio, tam facile & euidenter omnia penetrare, vt ipſa re & opere comperturus ſit, quam nullo negotio & quaſi per ludum nunc addiſci poſſit nobiliſſima omnium Lingua S., ad eamque iam vel cuilibet liceat ſibi ipſi eſſe doctori & diſcipulo.

§. 20. Hic ſpeciatim vero de *inueſtigatione Radicis*, monendum, quod non opus ſit hic, cum vulgatis Grammaticis Hebræis peculiarem proponere doctrinam, aut nouos plane de ea libros conſcribere, aut tritis verſiculis, *abiice ſeruiles, & ſi tres forte ſuperſint &c.* noui quid (non ſine tricis & magna tamen imperfectione) inculcare tironi; monendus is modo eſt, quod Radicem, ſeu Etymon vocis inueſtigaturus, non niſi recordari opus habeat illarum Regularum, quæ iam tum extant, & ipſi notæ erunt, tum de litteris *radicalibus* & *ſeruilibus*, & his quidem vel *Eſſentialibus* ſeu *formatiuis* תאמנתין in nomine & verbis: vel *Extraeſſentialibus*, ſiue *Paragogicis*, ſiue *Epentheticis*, ſiue *Conſignificatiuis*, (ceu Regulæ noſtræ 13. 14. 15. 16. 17. 18. oſtendunt); tum de *ſuffixis* Pronominalibus in Nomine, aut Verbo, in Reg. 20. & 47. Quo ſcil. norit Tiro, litteras illas omnes in reſolutione vocis ſic iterum abiiciendas eſſe, prout compoſitionem, aut flexionem

nem Radicis ingreſſæ ſunt per illas regulas. In primis autem ex Reg. XIII. obſeruet, quod litteræ אלבש circa initium, המכן circa initium & finem, יות vbique ſeruire, adeoque in deriuato iterum abiici poſſint. Quod *Anomaliam* vero recordetur pariter illarum Regularum, quæ ſiue primam, ſiue ſecundam, ſiue tertiam radicalem, ſiue duas ſimul abiiciendas aut mutandas docuerunt, in toto CAP. VI. huius noſtræ *Grammaticæ*, vel *Hebraiſmi Reſt. Wasmuthiani*, vt ſcil. eodem modo reſtituat eas Tiro, quo amiſſas easdem iam didicit locis citatis. Qui enim Geneſin nouit, qui Analyſin non norit? hæc omnium commodiſſima & certiſſima eſt ratio inueſtigendæ radicis. Conf. de eodem vlterius Heb. Reſt. Wasm. p. 57.

§. 21. Et vt totum id, quod diximus, exemplo quodam illuſtremus, aſſumat Hebræophilus e. g. primam Scripturæ S. vocem בְּרֵאשִׁית. Hic procedat ſec. Capita Grammat. & inſtituat

(*a*) Lectionem ex Cap. I. vbi inueniet litteram ב habere punctum intra ſe (quod eſt Dageſch lene, ſec. Reg. VI.) ſub ſe autem Scheua mobile, adeoque non conſtituens Syllabam, ſed nectens ſaltim litteram cum ſequ. ר, ſec. Reg. I. quæ lit. ר ſub ſe habet Zere, in quo ſequens א quieſcit, ſec. Reg. II. M. II. atque ſic fit Syllaba compoſita, ſec. Reg. VIII. hinc שׁ cum Chireck, (in quo י quieſcit, ſec. Reg. II. M. II.) vltimam litteram ת per Scheua eius ſubintellectum attrahit, ſec. Reg. II. M. I. & Reg. VIII. ſitque iterum Syllaba compoſita: Accentus eſt in vltima, ſec. Reg. IX. M. II.

(*b*) Etymologiam eiusdem vocis: Hic conſideret ex Reg. XIII. eam non eſſe primigeniam, ſed deriuatam, quia pluribus, quam tribus, conſtat litteris. Quærenda igitur erit Radix, quæ inuenietur abiiciendo litteras ſeruiles, & retinendo veras radicales: Sed quæras, quænam litteræ ſint h. l. vere radicales? Reſp. conſideretur tum ב, quæ littera eſt ex numero ſeruilium, & quidem h. l. debito cum puncto, debitoque in loco poſita, per Reg. XIII. lit. *α*. tum ר, quæ non eſt ex ſeruilibus, ſed radicalibus, tum א & שׁ, quæ licet alias quidem ſint ſerviles, h. l tamen actu ſeruiles non ſunt, quia non debito in loco ſunt poſitæ: (אֶלְבַּשׁ enim ab initio communiter tantum ſeruire, notum eſt ex Reg. XIII.) tum ית, quæ ſunt ſeruiles, quippe quæ vbique ſeruire poſſunt, in primis quia iam antea adfuere tres radicales, nim. ראש, quæ litteræ ſi euoluantur in noſtro Lexico Biblico, conſtituent radicem רָאַשׁ, quæ quidem hodie in Lingua Hebr. non amplius extat, ſuperſtes tamen eſt in Lingua Arabica, & notat *Præfuit, excelluit*, inde deſcendet Nomen רֵאשִׁית *principium*, cui tantum proponitur lit. ב,

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0032

ב, significans *in*, ex Reg. 18. M. VII. & vox habetur quæsita. Et sic in aliis procedat.

(γ) Vlterius determinetur, an illa vox sit nomen ex Cap. III. an alia pars Orationis? & quia est *Nomen*, considereretur sec. VIII. Membr. Regulæ XIX. vbi apparebit, id esse nomen (1.) *auctum* (2.) *Substantiuum* (3.) *Gen. Fœm.* (quia in ת seruile desinit) (4.) *Motionem* ei non competere, nec (5.) *Comparationem*, quia est substantiuum: (6) *Casus esse κατ' ἀναλογίαν* forte Ablatiui. (7.) *Numeri sing.* (8.) *status* absoluti: & quidem cum præf. ב, quod significat *in*, sec. Reg. XVIII. M. VII. Atque sic in aliis per aliquot horas sec. ductum Analyseos nostræ procedat, donec tandem nonnullos in Analysi sentiat profectus.

§. 22. Hinc regrediatur noster Hebræophilus, & reassumat accuratius paulo pertractandum Cap. VI. & in eo (α) *Anomaliam Guttural.* ex Reg. XXIX. & XXX. formetque e. g. Rad. עָבַד *coluit, seruiuit* & אָסַף *collegit* sec. formam פָּקַד, applicetque Regulas modo dictas in illis scil. personis, vbi littera Gutturalis deberet recipere Scheua, alias enim talia Verba nullam pariunt Anomaliam.

(β) *Anomaliam Quiescentium*, vel in Genere sec. Reg. XXXI. vel in specie, tum 3. Radicalis א, sic flecti possunt e. g. Radices מָצָא *inuenit*, & בָּרָא *creauit*, sec. Reg. XXXII. (vbi tamen circa Verbum בָּרָא obseruetur, Litteram ר leuem adhuc parere anomaliam in recipiendo Dagesch, e. g. in *Piel*, *Püal* & *Hithpaël*, vbi Dagesch illud excluditur & compensatur per vocalem longam sec. Reg. VII. & licet illæ formæ in hoc verbo non occurrant, totum tamen analogice formandum est, vt difficultates in aliis dehinc verbis occurrentes sic innotescant): tum 3. Radic. ה, vbi formentur e. g. Radices גָּלָה & עָלָה sec. Reg. XXXIII. & XXXIV. & conferantur simul in Rad. עָלָה Reg. XXIX. & XXX. tum med. Radic. ו, vbi flectantur e. g. Radices קוּם & רוּם sec. Reg. XXXIV. tum 1. Rad. י, vbi exerceantur v. g. Radic. יָשַׁב & יָלַד sec. Reg. XXXVII.

(γ) Similiter Anomaliam Defectiuorum scil. tum 1. & 3. נ, & sic formentur Verba נָגַשׁ & נָתַן secundum Reg. XXXVIII. & XXXIX. tum 3. ת vbi flectatur Verbum כָּרַת sec. Reg. XL. tum mediæ geminatæ, vbi flexio fiat Radicum סָבַב & גָּלַל sec. Reg. XLI. & XLII.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0033

§. 23. Nunc ordo postulat, vt attentius etiam perlegat CAP. VII. de *Mutatione Vocalium*, non quasi verbotenus edisscendæ sint istæ Regulæ, sed saltem, vt promte in Analysi rationes mutandarum vocalium inueniri possint. Nam quod iterumque ingeminatum volo: *Grammatica ex praxi potius, quam ex Theoria exacte discenda est.*

§. 24. His omnibus sic accuratius pertractatis, continuet vlterius *Praxin Analyticam*, nec desistat, donec tandem hæc IV. Cap. Genes. absoluerit. Hæc enim, præterquam, quod quintam fere Radicum Hebr. partem exhibent, eo etiam modo comparata sunt, vt prius faciliores, postea vero paulatim difficiliores formas sistant. Vt ita apta nata videantur hæc IV. Capp. ex quibus quis non contemnenda Linguæ S. fundamenta acquirere possit.

§. 25. Huic vero Analytico-Grammatico studio perquam vtile & iucundum erit addere etiam, (I.) *Idiotismos Linguæ S.* Grammticæ nostræ, & plenius Hebraismo Restituto Wasmuthiano subiectos, quo Spiritus S. sensus intimus perspici, & modi loquendi huic linguæ peculiares e natiuis suis principiis intelligi queant. Conferri etiam potest Syntaxis in *Thesauro Buxtorfiano* exhibita, nec non obseruationes Syntacticæ in Philolog. Sacr. B. Glassii, vel eiusdem Epitomatoris *Henrici Philippi Heervvarti* in Scrutinio Philologico contentæ. (II.) Coniungi possent simul addiscendæ quotidie aliquot Radices Hebrææ (saltem 10. aut 15. indies) e subiuncto hic simul ob id, in parte *IV. Compendio illo Lexici Hebræi*, quod singulari cura & selectu ex Concordantiis ita est excerptum, prout frequentissimus quarumque vocum vsus in Codice S. tironem maxime iuuare potest. Atque illa initio tironi sufficere possunt. In maiores autem profectus seruiet illud, quod in commodum Hebræophilorum dedimus, *Nouum Lexicon* Hebræo-Chaldæo-Biblicum ad modum *Lexici Buxtorfiani Hebræi, & Schreueliani Græci* adornatum, & in prima editione Atrii huius sub titulo INVENTARII Linguæ S. promissum, in quo (I.) Radices, seu Primitiua & Deriuata omnia, ac vtrorumque genuina significata ordine Radicum inueniuntur, eaque sæpe amissa e Linguarum Orientalium (Chald. Syr. Samar. Aethiop. & Arab.) Harmonia restituuntur. (II.) Formæ Grammaticæ omnes & regulares & irregulares vltra 40000. ordine Alphabetico dispositæ & Lexico huic insertæ cum perspicua earundem Analysi ad cuiusuis Autoris Præcepta commode applicata, & ad nutum requirentis facillime inuenienda exhibentur. Quo Lexico nostro ea per Dei gratiam linguæ S. præstita est facilitas, vt eo in auxilium adhibito nunc vno trimestri maiora in textu Hebræo & Chaldæo perdiscendo confici possint spatia, quam antehac

hac ſine eo intra totius anni ambitum. Quod multos iam experientia fida rerum magiſtra feliciter docuit.

§. 26. Quod ſi vero quis eodem forte deſtituatur, ne, in his tam neceſſariis, Hebræophilis noſtris deeſſem, cum Linguæ S. non ſolum tirones, ſed & perfectiores in eadem, aliquando in horum *Anomalorum difficiliorum inueſtigatione* dubii fluctuent, non ſine magna temporis & laboris iactura, aliquale eam in rem ſubſidium ſnppeditare volui *Parte V. huius* Atrii, *INDICEM* nimirum Anomalorum difficiliorum ex vniuerſo Codice S. in *Hebraiſmo Reſtituto B. D. Wasmuthi* enucleatorum, allegatis ſemper illius *paginis & lineis.* Vbi ſaltem prænotamus, quod cum ſingulari horum omnium delectu opus fuerit, ne enormiter excreſceret Grammaticum hoc noſtrum inſtitutum, eo inſtiterimus compendio, (quo & indagator horum nobiſcum vtetur) vt (α) communiores & regulares Anomalias iam tum ex praxi noſtra velut notas præſupponamus, hic igitur non amplius requirendas. (β) Vocum incipientium a *ſeruilibus* משה וכלב in primis ה & ו, ea tantum Anomala recenſuerimus in dicto Indice, quæ per ipſarum harum litterarum Grammat. rationes Anomaliam ſuam accepere; reliqua vero, quæ non per ipſas illas Litteras, ſed abs ſe Anomaliam ſortita ſunt, ſub propriis ſuis litteris initialibus plerumque quærenda ſunt, vt vt ſæpe & cum eiusmodi ſeruili initiali reperiantur. (γ) De Anomaliis a littera aliqua Eſſentiali ſeruili אתי, aut aliis formatiuis Temporum incipientibus idem obſeruandum; quod ſi forte non ſub hac vel illa præformatiua occurrant, (ſiue in Indice, ſiue in Codice S.) ſub altera ſimili, ſiue אתין, ſiue reliquis Temporum præformatiuis, quærendæ veniant.

§. 37. Nunc (III.) *Praxis* quoque *Hebræo-Biblica* omnino accedat neceſſe eſt. Neque enim in hiſce modo Grammaticis Principiis aut exercitiis Elementaribus, (quamuis & ipſis prius neceſſariis, ceu ſuperius demonſtrauimus,) ſubſtitiſſe fas erit, ſed *male potius eum cepiſſe diceremus, qui hic deſineret.* Quin ergo ab hiſce fundamentis bene iactis, tranſire prorſus oportet Lectorem Hebræophilum ad ſtudium *Curſorio-Biblicum;* atque ita quidem, vt is prius noſtra *Biblia Parua Dictorum Claſſicorum totius V. T.* ſibi quam familiariſſima reddat; vbi non ſolum in Lingua S. eam acquiret perfectionem, qua dehinc in vniuerſo Codice S. fere ſine remora verſari, eumque ferme totum vltro intelligere poſſit, vtpote in quibus pleræque & tantum non omnes Voces Hebr. & Chaldaicæ Codicis S. cum cura exhibentur, vti id experientia abunde hactenus comprobauit: ſed in promtu etiam aliquando habebit Theſaurum egregium Dictorum tum probantium in Diſputationibus Theologicis contra Aduerſarios, tum Textualium pro concionibus explicandorum. Hiſce *Bibliis noſtris paruis* ſemel atque iterum perlectis, eo-

run-

rundemque repetitione forte in diem Sabbathi translata, accingat iam ſe huius linguæ Cultor ad quotidianam Bibliorum Lectionem, eaque ad certum aliquot capitum penſum firmiter adſtricta, intra præfinitum aliquod tempus totum Codicem S. abſoluat, quo ſic quandam cum lingua S. familiaritatem contrahat: vbi reuera experietur demum, quam ineffabilis dulcedo Originarii & authentici ſermonis Spiritus S. maiorem indies ardorem vltro exſtimulatura ſit erga diuiniſſimos illos ſenſus & emphaſes Sacri fontis, quas nulla vnquam verſio ſatis aſſequi poteſt, fruſtra ſic ſuam Linguæ S. imperitiam ſola verſionum ope ſolantibus ſæpe multis ἀνεξηγλώττοις. Et ne quis iure conqueri poſſit vel de iniquo Codd Hebræorum pretio; quo qui aliquem ἀκριβείας famam habent, vendi ſolent: vel de perpetuis, quibus etiam accuratiores Codd. laborant, vitiis, quamprimum alii noſtri labores permittent, prodibunt Biblia noſtra Hebræa emendatiſſima in octauo, vt vocant, maiori, quibus permultos annos inſudaui, eaque cum plurimis iisque optimis in & extra Germaniam MSCtis, nec non cum pretioſiſſimis impreſſis Codicibus laborioſiſſime contuli, eaque ad Maſoram vtramque ad libros Maſorethicos & Criticos Hebræorum alios, itemque ad analogiam Grammaticam & Accentuatoriam magna cum cura & ſtudio examinaui, quorum pretium nemini, vt ſpero, graue erit.

§. 28. Huic iam ergo maiori Linguæ S. perfectioni, inſignia præſtabunt adiumenta, quin neceſſario prorſus ad manus ſint, & conferantur oportet. (*a*) *Plenius illud opus Hebraiſmi Reſtituti B. D. Wasmuthi*, veluti *Commentarius Grammaticus abſolutus*, quo difficultates omnes & ſpecialiores Anomaliæ plene expeditæ ſunt, ordine ac tenore vbique eodem cum publicato hoc *Compendio* eiusdem.

(6) *Accentuationis Hebrææ* tot ſeculis deſideratiſſima Doctrina ab eodem viro beato, primo omnium in iuſtas Regulas & omnino *Methodicam Inſtitutionem* redacta, cum præmiſſa *Inſtructione plana* & perſpicua, quomodo quis eam proprio demum Marte (in defectu viuæ manuductionis,) addiſcere, & in vſus Hermeneuticos Scripturæ Originariæ transferre poſſit ac debeat. Ad quod opus prolixius & plenius, vt tironibus quoque aditum pararem faciliorem, edidi *Atrium meum vel Inſtitutiones Accentuationis Hebraicæ*, in quo (1.) *Præcepta* compendioſe ac plene eodem regularum ordine & Verborum tenore cum maioribus Inſtitutionibus Dn. D. Wasmuthi ex induſtria ſic ſeruato proponuntur, vt & hic alterum alterius fundamentum & complementum, ambo vero mutua diſcentibus ſubſidia præſtare poſſint. (2.) *Index* difficiliorum & vltra 3000. Anomalorum ex vniuerſo Codice Hebræo ſec. ordinem libb. & Capitum ſelectorum, & in Inſtitutionibus maioribus Wasmuthianis enucleatorum non ſine labore exhibetur, quo facilius,

ſi

ſi quis locus in Codice Hebræo difficilior occurrat ſine iactura temporis inueniri, atque per regulas & rationes in præceptis propoſitas explicari poſſit.

§. 29. Reſtat nunc PRAXIS HEBRAEO-*Philologica*, qua non minus neceſſaria quoque Hebræophilo eſt Notitia, (α) *Momentoſarum maxime Controuerſiarum ſacrarum*, tum circa *Litterarum & Punctorum*, S. Textus Hebræi *Authenticam originem*, (quorum illas (*Litteras*) pridem malitia & fraus Diaboli quaſi *ſpurias*, *adulterinas* & *ſuppoſititias*; hæc vero (*puncta*) quaſi recens *additamentum Maſoretharum* aut *Excrementum*, vt profane loquuntur, *Rabbinorum*, per nonnullos Anti-Hebraiſtas peſſime infamauit); tum circa *Integritatem ac certitudinem* S. Textus Hebræi, quam, poſt Pontificios, alii etiam, proh dolor! quorum potius fuiſſet defendere, quam deſtruere acropolin orthodoxæ Eccleſiæ, acerrime impugnarunt, & quantum in ipſis, perditiſſime peſſundatum iuerunt. Quos vero vna omnes pro merito exceptos, & maſcule contuſos, vide in clariſſ. Buxtorfii tum *Anti-Critica*, tum *Tract. de Punctis*, nec non Celeberrimi noſtri Anteceſſoris Dn. D. Wasmuthi, νῦν ἐν ἁγίοις, *Vindiciis Anti-Capell. Walton. Conringianis*, quibus & ipſis adeo rem Hebræam quoque præclare reſtituit laudatus Autor, cui proinde orbis eruditus merito ex Rabbinis ſuccinat:

מנוחתו בצרור החיים עם שאר הצדיקים׃

Sit requies eius in faſciculo viuentium cum reliquis iuſtis.

(β) *Variarum rerum Philologicarum* S. neceſſaria non minus eſt cognitio; quam ſummarie quidem e *Cl. Leusdenii*, *Amici noſtri*, *dum viueret*, *honorandi*, *Philologo-Hebræo & Hebræo Mixto*, in primis noua eiusdem editione; nec non e Celeb. Hottingeri Theſauro Philologico, itemque *Clariſſ. Dn. Pfeifferi* diſſertationibus eruditis; plenius vero ex pluribus aliis Celeberr. Virorum, Buxtorffiorum, Glaſſii, Hackſpanii, Heluici, Caroli Sigonii, Corn. Bertrami, Petri Cunæi, &c. ſcriptis inclytis perdiſcere licet, ceu de *Maſora*, *Targumim*, *Cabbala*, *Lexicis*, *Commentariis Rabbinorum*, *Rebus & Ritibus Hebræorum*, *Linguarum & Verſionum Orientalium vſu*, aliisque Philologicis Tractatibus ſingularibus variorum Autorum, vt Ariæ Montani & Waltoni Apparatu Biblico ipſorum operibus ſumtuoſiſſimis præfixo. In *Biblico-Criticis* autem *Clariſſ. Dn. Poli*, Angli, Amici quondam honoratiſſimi, *Critica ſelecta* in vniuerſam Scripturam S., itemque B. Welleri & Geieri, Tarnouii, Varenii & Schmidii Scripta Exegetica præ aliis adhiberi poſſunt.

§. 30. Denique & reliquarum adiungenda pariter eſt linguarum orientalium cognitio, quarum præcipue omnium:

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0037

(α) *Chaldæo-Targumico-Rabbinica*, in opere Buxtorfiano Baſileenſi, luculentis Rabbinorum Commentariis conferendis cum S. Textu Originario, vt & aliorum Iudæorum legendis ſcriptis, tam inſignem præſtat vſum, vt eius quoque cultu & peritia carere non poſſit dexter futurus Theologus. Præcepta ad eam dedimus facillima & perfecta, eadem cum his Hebraicis Methodo iisdemque L. Regulis, adeoque plane Harmonica, in noſtro Chaldaiſmo Targumico-Talmudico-Rabbinico nouæ edit. vt qui hæc intelligit, non poſſit non & illa vltro intelligere.

(β) *Syriaca Lingua* non minus neceſſaria, luculentum ſui monſtrat vſum, tum in obſcurioribus Scripturæ S. locis per antiquiſſimas ſuas V. & N. T. Verſiones illuſtrandis, vt inſtar Commentarii N. T. iure a plerisque habeatur; tum in Radicum apud Hebr. deperditarum genuina ſignificatione reſtituenda, tum & in Hiſtoria Eccleſiaſtica & Eccleſiarum Orientalium ſtatu cognoſcendo. Huius quoque Præcepta exhibuimus pleniſſima in *Syriaſmo noſtro Hebraiſmo Harmonico*.

(γ) *Samaritana* vt facillima, ita quoque vtiliſſima futuro Theologo. In ea habemus tum Textum Pentateuchi Hebræum Samaritanis litteris iam olim (non tamen originaliter) deſcriptum: tum Verſionem eiusdem antiquiſſimam, tum & multas adhuc voces, quæ linguæ Hebrææ lucem fœnerari poſſunt, non ingratam. Præceptis nouis vix opus eſt. Sed vti ex lingua Hebræa & Chaldæa conflata eſt, ita earundem formis iisdemque præceptis vtitur. Lexicon ſimul exhibuit Celeberrimus Caſtellus in Lexico ſuo Heptaglotto.

(δ) *Arabica*, ſi quæ alia totius Orientis, hæc ſane vtiliſſima & prope neceſſaria eſt Hebræophilo. Præterquam enim, quod hæc Hebrææ maximam lucem affundit, tum in accurate Etymologiæ ratione, tum in formali vocum ſignificatione, (vt quodammodo patet ex Atrii huius Parte III. ad Verſ. 1. c. 1. Geneſ. itemque ex toto noſtro Lexico-Hebræo-Biblico): magnum ea quoque exerit vſum in Theologia exegetica, Facult. Medica, Philoſophia, aliisque artibus & ſcientiis, id quod iam olim Clariſſ. Clenardus pecull. Orationibus de lingua Arab. & Dn. D. Wasmuthus *in Parenæſi* Gramm. ſuæ Arab. præmiſſa, aliique plures abunde demonſtrarunt. Adminicula ad hanc vt præcipua ſaltem breuiter indigitem, ſunt (1.) *Grammatica Arabica*, præcipue Celeberr. Wasmuthi, Amſtelodami, Anno 1654. excuſa. (2.) Praxi ſtudii Arabici maxime inſeruiet initio illud ſpecimen Arabicum Clariſſ. Fabricii, Roſtochii, An. 1638. editum, aut Erpenii Surata Ioſephi cum breuiſſ. Annot., aut Celeb. Pocokii, Præceptoris olim in his quondam mei honoratiſſimi, Carmen *Tograi* Oxonii, Anno 1661. editum cum proſodia Arab. Clariſſ. Clerici. (3.) Lexicon vero adhibendum erit Clariſſ. Golii in fol. An. 1653. Lugd. Bat. editum: aut qui horum compendium facere velit, adhibeat aliquando noſtrum ATRIVM linguæ Arabicæ, eadem cum hoc Hebræo concinnatum methodo, quod com-

commodis φιλαγατολικογλώττων ab aliquot annis elaboratum asseruamus, dum ei typis exprimendo forte inueniamus, impensas qui ferat. Sistimus autem in eo (1.) Consilium, quomodo quis proprio Marte studium hoc aggredi & feliciter absoluere possit. (2.) Grammaticam plenam & Methodicam Hebraismo, quantum fieri potuit, Harmonicam. (3.) Accuratam Analysin Grammatico-Philologicam multorum Textuum Arabicorum cum genuina expressione veræ & genuinæ lectionis & pronunciationis. (4) Lexicon Arabicum compendiosum pro Versione Bibliorum Arabica & Alkorano pleramque partem intelligendo.

(ε) *Persica* quoque Lingua Philologiæ Studioso non penitus negligenda. Hæc præter summam sui facilitatem, non solum multas voces Persicas, Textui S. in primis libris Estheræ, Danielis & Esræ insperſas, adeoque sine huius linguæ cognitione obscuras, clarissime illustrat; sed & ad sensum Scripturæ S. facilius intelligendum Versio eius interdum satis apta, non omnino nihil facit: vt taceam elegantissima scripta alia in hac lingua edita, ceu sunt, Historia CHRISTI Xaueriana cum notis a Lud. de Dieu edita, & Musladini Sadi Rosarium Persicum, seu Amœnum sortis hum. Theatrum cum versione & notis a Clariss. Gentio, Orientis per aliquot annos incola, Amstel. 1651. in fol. editum &c. *Grammaticam* dedit tum Ludou. de Dieu in Rudimentis suis Persicis, tum Clariss. Ioh. Grauius Anglus cum Tractatu de Siglis Arab. & Persarum Astronomicis, Lond. edit. 1649. Qualem & ipsemet eamque quantum fieri potuit Hebræo-Harmonicam, & ex Versione Codicis S. a me exstructam hactenus cum Auditoribus meis in scripto communicaui.

Denique (ζ) & *Aethiopica* adiungenda, ob rationes easdem, quibus præcedentes linguas requisiuimus. In hac optime præibit Nobiliss. Ludolfus, exquisita Grammatica & Lexico sufficienti, qui Textus quoque & scripta plurima, inter alia vero integrum Psalterium Aethiopicum nuper admodum huius linguæ amatoribus ac bono publico non sine cura emendatum dedit.

Tandem vero (η) cum in his exoticis Linguis omnibus Textus in primis Sacri, sint rariores, optandum, vt quis bono publico Biblia Parua Polyglotta, seu Compendium elegantissimorum & Classicorum dictorum ex vniuerso opere Anglicano adornaret. Is enim sine dubio magnam ab æquis rerum æstimatoribus iniret gratiam, quandoquidem non omnium est Centum statim imperiales expendere pro Bibliis Anglicanis: Nuper tamen ex parte desiderium nostrum impleuit Dn. Georg. Otho, Græcæ & Orient. Lingg. in Acad. Marp. Prof. Celeb in suo tractatu, quem inscripsit Palæstram Linguarum Orientalium, quo non solum Textus priorum IV. Capit. Genes. ex Versionibus Orientalibus, *Chald Samar. Syr. Arab. Aethiop. & Persica*, sed & omnium illarum Lingg. breue Glossarium (in quo vocabula ex illis IV. Capp. inueniuntur) a Cl. Dn. Andr. Othone exhibentur

Quod opus proſtat Francof. ad Mœnum ap. Dn. Frid. Knochium, edit. An. 1702. quodque noſtris hic publice ex merito commendamus.

(ϑ) *Lexicon* autem Vniuerſale præcedentium Linguarum, ſi quis vltimo loco deſideret, inſeruiet initio vel Hottingeri Lexicon Harmonicum Heptaglotton, vel. Clariſſ. *Ioh. Frid. Nicolai*, Superintendentis quondam in Diœceſi Saxo-Lauenburgica meritiſſimi, Amici, & Anteceſſoris mei in Adiunctura Facultatis Philoſoph. ap. Ienenſes olim Chariſimi, νῦν ἐν ἁγίοις, *Hodegeticum Orientale*.

In maiores autem profectus comparari poterit incomparabile illud *Lexicon Heptaglotton*, quod An. 1669. immenſo labore, corporisque & fortunæ viribus per ſedecim annos exhauſtis fere omnibus Orbi Chriſtiano dedit Vir bono publico & illuſtri ſtemmate natus vere πολύγλωττος *Edmundus Caſtellus*, Fautor, Præceptor & ſtudiorum meorum Orientalium in Anglia quondam Promotor Candidiſimus, indeque poſt funera venerandus, cui hic tum pro hoc, tum & pro altero prægrandi labore Bibliis Anglicanis inſumto, publicas ago gratias; in primis vero, quod licet ipſius opera pleraque Anglicani Operis prodierint, neutiquam tamen *Apparatum* eius, ſeu *Prolegomena*, (quatenus Sacri textus authentia & integritas in iis peſſime deſtruitur, per omnia approbat Vir idem Optimus. Quid igitur reſtat, quam vt Viro huic laborioſiſimo grata voce ac pectore apprecemur ſolenne illud Rabbinorum:

תהי מניחתו כבוד

Sit requies eius glorioſa.

Plura hic cum Lect. Ben. vt communicem, chartarum prohibet anguſtia. Nunc cum Regio Vate ex Pſal. CXIII. concludo:

יהי שם יהוה מבורך׃



TABV-

TABVLA SYNOPTICA

COMPENDII HEBRAISMI RESTITVTI.

CAP. I. DE ELEMENTIS LINGVAE HEBRAEAE.

REG.

I. De Lectione שׁ (:) *Scheua.*
II. De natiua sede שׁ (:) *Scheua.*
III. De *Scheuaiim* simplicium *Concursu* sub litt. non Gutturalibus.
IV. De *Scheuaiim* Compositorum *Concisione*, seu resolutione in simplicia.
V. De *Scheuaiim* Compositorum *Crasi*, seu Contractione.
VI. De *Dagesch* leni.
VII. De *Dagesch* forti, vbi simul de *Mappik.*
VIII. De *Syllaba* simplici & composita.
IX. De *Accentus* Tonici loco, seu *sede* natiua.
X. De *Accentus* Tonici *translocatione*, indeque Vocalium mutatione.
XI. De *Accentu* Euphonico Metheg.
XII. De *Kametzchatuph* discernendo a ָ longo, & ָ Chatephkametz.

CAP. II. DE ETYMOLOGIA, seu NOTATIONE VOCIS.

XIII. De Litteris *Radicalibus* & *Seruilibus in genere.*
XIV. De punctis litterarum *Radicalium* & *Seruilium in genere.*
XV. De Diuisione litt. Seruil. & in specie de Litteris Essentialibus הָאֲמַנְתִּיוּן.
XVI. De Litteris seruilibus Extraessentialibus (1) Paragogicis. אֲדֹנָיְכֹה.
XVII. De Litteris seruilibus Extraessentialibus (2) Epentheticis אֵוִין.
XVIII. De Litteris seruilibus Extraessentialibus (3) Consignificatiuis מֹשֶׁה וְכֻלֵּב.

CAP. III. DE NOMINE.

XIX. De Nominis 1) *Forma.* 2) *Qualitate.* 3) *Genere.* 4) *Motione.* 5) *Comparatione.* 6) *Casibus.* 7) *Declinatione.* 8) *Statu triplici.*

CAP. IV. DE PRONOMINE.

XX De Pronominibus, tum separatis, tum Affixis.

CAP. V. DE VERBO REGVLARI.

XXI. De Coniugationibus *in genere.*
XXII. De Temporibus *in genere.*
XXIII. De Coniugatione *Kal.*
XXIV. De Coniugatione *Niphal.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1904234933/phys_0041

XXV. De Coniugatione *Piel.*
XXVI. De Coniugatione *Pyal.*
XXVII. De Coniugatione *Hiphil* & *Hophal.*
XXVIII. De Coniugatione *Hitphael.*

CAP. VI. DE ANOMALIIS VOCVM IRREGVLARIVM.
ob litt. vel 1. *Gutturales*, vel 2. *Quiescentes*, vel 3. *Defectiuas.*

XXIX. De Anomalia litterarum אהחע in recipiendo Scheua mobili.
XXX. De Anomalia litterarum אהחע in recipiendo Scheua quiescente.
XXXI. De Anomalia litterarum אהוי in genere.
XXXII. De Anomalia א tertiæ radicalis.
XXXIII. De Anomalia ה tertiæ radicalis *non crescentis a fine.*
XXXIV. De Anomalia ה tertiæ radicalis *crescentis a fine.*
